
THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA LOS ANGELES


THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA LOS ANGELES

MÉMOIRES ET DOCUMENTS

PUBLIÉS PAR LA

SOCIÉTÉ NATIONALE

DES ANTIQUAIRES

DE FRANCE

Fondation Auguste PROST

NOGENT-LE-ROTROU, IMPR. DAUPELEY-GOUVERNEUR.

METTENSIA

II

MÉMOIRES ET DOCUMENTS

PUBLIÉS PAR LA

SOCIÉTÉ NATIONALE

DES ANTIQUAIRES

DE FRANCE

FONDATION AUGUSTE PROST



PARIS

C. KLINCKSIECK

LIBRAIRE DE LA SOCIÉTÉ

11, RUE DE LILLE, 11

1898

METTENSIA

II

CARTULAIRE

DE

L'ABBAYE DE GORZE

MS. 826 DE LA BIBLIOTHÈQUE DE METZ

PUBLIÉ PAR

A. D'HERBOMEZ



PARIS

C. KLINCKSIECK

LIBRAIRE DE LA SOCIÉTÉ NATIONALE DES ANTIQUAIRES DE FRANCE

11, RUE DE LILLE, 11

1898

EXTRAIT

DU

TESTAMENT DE M. AUGUSTE PROST.

(Paris, 7 février 1894.)

Art. II. — Je donne à la Société nationale des Antiquaires de France, dont je fais partie, la somme de cent mille francs, à placer, pour aider de son produit ladite Société dans ses publications. Cette donation est faite aux conditions suivantes :

La Société des Antiquaires de France publiera chaque année un volume, ou au moins un fascicule, contenant, ne fût-ce que par portions successives et se reliant par leur pagination, soit des documents, soit des travaux sur l'histoire de Metz et des pays voisins. Ces publications pourront être également consacrées à des réimpressions du même genre, jugées utiles; elles seront distinctes des autres publications de la Société.

Les volumes et fascicules publiés annuellement ainsi seront toujours, quelque minime qu'en soit l'étendue, précédés d'un titre, qui en indiquera le sujet spécial, et au recto duquel figurera en tête le mot METTENSIA, avec un numéro d'ordre et la date de publication; au verso de ce titre sera uniformément reproduit, en petits caractères, le texte du présent article II de mon testament, jusqu'à et y compris les derniers mots.

METTENSIA

II

MÉMOIRES ET DOCUMENTS

PUBLIÉS PAR LA

SOCIÉTÉ NATIONALE
DES ANTIQUAIRES
DE FRANCE

FONDATION AUGUSTE PROST



PARIS
C. KLINCKSIECK
LIBRAIRE DE LA SOCIÉTÉ
11, RUE DE LILLE, 11
1898

Fascicule 1.

Le *texte* du Cartulaire de Gorze sera publié en deux fascicules; un troisième fascicule contiendra l'*introduction*, les *notes* et la *table*.

CARTULAIRE

DE

L'ABBAYE DE GORZE

1.

Andernach, 20 mai 745.

Chrodegang, évêque de Metz, donne à l'abbaye de Gorze, récemment fondée par lui, divers biens à Gorze, Nonsart, Scy, Jouy-aux-Arches, Buxières-lez-Chambley, Cuvry, etc.

Cartulaire de Gorze, ms. 826 de la bibliothèque municipale de Metz, pages 1-3. — Publié dans les Preuves de l'*Histoire de Metz* des Bénédictins, p. 6.

SCRIPTUM DONNI GRODEGANGI DE SIEGIO ET DE MULTIS ALIIS LOCIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, amen. Ego Chrodegangus, ac si indignus si non opere vel nomine, gratia Dei episcopus, una cum commeatu et voluntate illustris viri Pippini, majoris domus, senioris nostri, et cum consensu omnium parium nostrorum, abbatum, presbiterorum, diaconorum, subdiaconorum, seu hominum Sancti Stephani ecclesie Metensis, vel illorum laicorum bonorum qui ibidem in servitio Sancti Stephani esse videntur, cogitavi, casu humane fragilitatis, qualiter peccata nostra, donante Domino, possimus abluere et ad eterna gaudia pervenire. Idcirco donamus de rebus Sancti Ste-

phani ad illam basilicam sancti Petri et sancti Stephani, vel ceterorum sanctorum, quam a novo edificavimus in fine Haldiniaca, in pago Scarponinse, ubi Gorzia consurgit, et ad ipsam cellam quam ibidem construximus, et ad opus servorum Dei habitantium ibidem, per hoc testamentum, unde illi monachi vel pauperes ibidem victum et vestitum, vel aliam consolationem possint habere, hoc est quicquid in fine Haldiniaca, ubi ipsam basilicam sancti Petri edificavimus, quicquid comparavimus aut ad nos per venditionem, donationem, commutationem advenit, et quicquid de ipsa fine Haldiniaca in unaquaque parte leuas duas comparavimus, aut nobis traditum vel commutatum fuit, vel in antea ibidem comparatum, aut de quolibet ingenio legibus ad nos pervenit, hoc ad ipsam cellam jamdictam, per hoc testamentum, pro mercedis nostri augmento, et quicquid in ipso fine Haldiniaco casa Sancti Stephani ibidem habuit, ad ipsam basilicam vel ad illam cellam sancti Petri proficiat in augmentis. Donamus etiam in ipso pago Scarponinse, in loco nuncupato Siurone, quicquid Rigoaldus ad partem Sancti Stephani per suarum strumentum cartarum delegavit, cum illa basilica que est in honore sancti Pauli constructa, vel quicquid ad hoc aspicit in Godolino villa et Bodelo curte, vel in fine Haldiniaca, et in fine Baudiciaca, vel in fine Aconiaca, vel quicquid in ipsas fines Rigoaldus et germanus suus Gontrannus ad partem Sancti Stephani per illorum strumenta delegaverunt, et quicquid Bavo in Tantalino villa per suum strumentum ad casam Sancti Stephani delegavit. Donamus etiam, in pago Scarponinse, in villa Bucsarias, quod casa Sancti Stephani legibus ibidem habere videtur, vel in illas fines, sicut jam dictum est, quod boni homines, per illorum strumenta, ad casam Sancti Stephani delegaverunt. Donamus etiam, in ipso pago Scarponinse, villam Sancti Stephani cujus vocabulum est Pinna, cum mansis, curtilis, ortilis, domibus, edificiis, terris, campis, pratis,

vineis, silvis, cultis et incultis, aquis aquarumve discursibus, mancipiis, litis, acolabus vel epistolariis, peculiis utriusque generis sexus, mobilibus vel immobilibus, vel quicquid ibidem per venditionem, donationem, commutationem, pervenit ad ipsam casam sancti Petri vel ad ipsam cellam, cum Dei adjutorio proficiat in augmentis. Donamus ad Novum sartum medietatem de illa silva, ubi illi fratres vel illorum homines ad ipsam casam sancti Petri madramen possint facere. Donamus etiam illas res Sancti Remigii, cum ipsa basilica in Sigeio constructa, vel quicquid ad hoc aspicit, vel quod usque nunc Adventius per beneficium tenuit Sancti Stephani. Donamus etiam in ipso Sigeio vineas quatuor cum vinitoribus, et illorum mulieres, et illorum mansos, et illorum sortes. Hec sunt nomina eorum : Harduinus, vinitor; uxor sua epistolaria; Erlofridus, vinitor; uxor sua Raganlindis; Erlulfus, vinitor; uxor epistolaria; Wandelbertus, vinitor; uxor sua epistolaria. In ipsa villa donamus ancillas his nominibus : Amelbergane ancilla, Rigobertane ancilla, Eminane ancilla, et illam decimam de illis vineis dominicatis, tam de vino quam de annona, aut aliunde. Donamus etiam ad Castellum vineas tres cum vinitoribus, et illorum uxores, et illorum mansos vel illorum sortes. Hec sunt nomina eorum : Adelfridus, vinitor; uxor sua ancilla, nomine Gaucia; Anglifridus, vinitor, cum uxore sua; item Adelfridus cum uxore sua, Wandelbergane ancilla, et germana ancilla. Donamus etiam ad Gaudiacum illud oratorium quod est in honore sancti Andree constructum, vel quicquid ad hoc pertinet, vel quod Teudoinus per beneficium Sancti Stephani ibidem tenuit. Donamus etiam ad Cuberacum illam basilicam que est in honore sancti Martini constructa, quod Candidianus cancellarius per beneficium tenuit, vel quicquid ad ipsam basilicam aspicit, ad ipsam casam sancti Petri, et ad illos fratres vel monachos proficiat in augmentis; et illa decima de prunido, de

annona, de feno, de vaccis, de porcis, de vervecibus, vel de jumentis, vel aliunde, ad ipsam casam jamdictam proficiat in augmentis. Donamus etiam illam decimam de Miliriaco, de illo vino quod ibidem annis singulis collectum erit. Donamus etiam supra Musellam villam Cluserado cum illo villacerlo qui dicitur Riviniacus, cum mansis, curtilis, ortilis, domibus, edificiis, terris, campis, pratis, vineis, silvis, cultis et incultis, aquis aquarumve discursibus, mancipiis, litis, accolabus, epistolariis, peculiis utriusque generis sexus, mobilibus et immobilibus; vel quicquid in ipsa fine casa Sancti Stephani habere videtur, ad ipsam casam sancti Petri, vel ad ipsam cellam, sicut superius dictum est, ad ipsos monachos vel ad ipsos fratres proficiat in augmentis. Donamus etiam illam decimam de illo vino de Bredraculo, totam, annis singulis. Hec omnia superius intimata ad ipsam Gorziam, vel ad illos monacos et pauperes ibidem elemosinam sperantes, omni tempore proficiat in augmentum. Si quis vero ex successoribus vel fratribus meis predicti cleri Metensis, seu quelibet persona, contra hujus testamenti mei paginolam venire temptaverit, aut aliquid exinde facere voluerit, absque mea voluntate minuere conatus fuerit, aut devotionem meam in omnibus adimplere noluerit, vel sacramenta supra intimata observare contempserit, dum maledicere quemquam nolo, nichilominus noverit se in tremendum diem juditii, ante tribunal Christi, mecum ex hoc causaturum; et ut omni tempore hec paginola testamenti nostri maneat inconvulsa, manu propria eam roboravi, et fratribus nostris, vel reliquis bonis hominibus qui consentientes fuerunt, affirmandum rogavi.

Actum apud Andernacum, in palatio, publice, anno ab incarnatione Domini DCC° XLV°, indictione XIII[a], epacta XIIII[a], concurrente IIII°, anno VI° Childerici regis, XX° die mensis maii.

Sigillum illustris viri Pipini, majoris domus.

2.

Metz, 25 mai 754.

Chrodegang, évêque de Metz, donne à l'abbaye de Gorze divers biens à Vanault-le-Châtel, Sponville, Vic, Metz, etc.

Cartulaire, p. 4 et 5. — Publ. par Dom Calmet, *Histoire de Lorraine*, t. II, col. c, et par Meurisse, *Histoire des évêques de Metz*, p. 167.

SCRIPTUM DONNI GRODEGANGI DE WASNAO ET DE ALIIS LOCIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ego Chrodegangus, ac si indignus si non opere vel nomine, gratia Dei Metensis episcopus, una cum commeatu et voluntate illustrissimi viri Pippini, inclyti regis, senioris nostri, et cum consensu omnium parium nostrorum, abbatum, presbiterorum, diaconorum, subdiaconorum, vel omnis cleri nostri, seu et hominum Sancti Stephani ecclesie Metensis, vel illorum laicorum bonorum qui ibidem in servitio Sancti Stephani esse videntur, cogitavi casu humane fragilitatis qualiter peccata nostra, donante Domino, possimus abluere, et ad eterna gaudia pervenire. Idcirco donamus, de rebus Sancti Stephani, ad illam basilicam sancti Petri, et sancti Stephani, et sancti Pauli, vel ceterorum sanctorum, quam nos, Deo auxiliante, a novo edificavimus in fine Haldiniaca, in pago Scaporninse, ubi Gorzia fluviolus consurgit, et ad ipsam cellam quam ibidem construximus, et ad opus servorum Dei habitantium, condonamus ibidem per hanc paginam testamenti, unde illi monachi vel pauperes ibidem victum et vestitum vel aliam consolationem possint habere, hoc est curtem Sancti Stephani Holomnam, in pago Pertinse, cum omni integritate, et omnes adjacentias suas ad eandem pertinentes. Donamus etiam ibidem Wasnao in Campania, cum omni integritate sua, et omnes adjacentias suas ad eandem pertinentes,

quicquid ibidem pars ecclesie Sancti Stephani visa est habere. Donamus etiam ibidem Cippone villam, et Wassane villam, et Beltaldo curtem, in pago Wanbrinse, cum omnibus adjacentiis eorum, vel aliis que ad ipsas obtingunt, cum omni integritate ad integrum. Similiter donamus ibidem Bavone curtem, Cincilone villam, in ipso Wanbrinsi pago, cum omni integritate eorum. Donamus etiam in pago Warmancinse illam basilicam que est in Paterno villa constructa, vel quicquid ad ipsam basilicam legibus obtingit, seu et illam decimam de vino, vel de annona, vel de aliis fructibus, quicquid in ipsa Paterno villa annis singulis est collectum. Similiter donamus in pago Magnise, in villa Pomaris, sortem cum viniatore, vel illam vineam quam ipse viniator facit, seu et illud decimum de vino vel de annona, quicquid ibidem annis singulis est collectum. Donamus etiam ibidem ad Bredalio unum viniatorem cum sua sorte, quam tenet, seu et illam vineam indominicatam quam ipse facit, et illam decimam de vino vel de annona, quicquid in ipsa curte annis singulis est collectum. Donamus etiam ibidem, in Subteriore Vico, aria cum sessu suo, ubi hinium ipsi fratres possint habere. Similiter donamus ibidem, in Arsiniago in Campania, servos duos cum sortibus eorum, qui ipsorum verveces custodiant, seu et illam decimam de vino vel de annona, de Arsiniago et Bocinnago, que ibidem annis singulis est collecta. Donamus etiam ibidem in Mettis vineas duas, et donamus ibidem illam cellam quam Dodo antea habuit, antequam illam cellam Sanctus Stephanus habuisset. Et ista omnia superius nominata totum et ad integrum hoc volumus quod ad casam sancti Petri omni tempore proficiat in augmentis. Si quis vero ex successoribus nostris, vel dominis meis predicti cleri Metensis, seu quelibet persona contra hoc testamentum meum venire temptaverit, aut aliquid exinde facere voluerit, absque mea voluntate, dum maledicere nolo, nichilominus noverit se in tremendo die

juditii, ante tribunal Christi, mecum ex hoc causaturum.

Et ut omni tempore hec pagina testamenti valeat inconvulsa, actum est hoc Metis, publice, anno ab incarnatione Domini DCC L° IIII°, indictione VII, epacta XXIII, concurrente I°, anno IIII regni Pippini, gloriosissimi regis, XXV die maii.

Chrodegangus episcopus. Signum Gaisone; signum Zacharie; † Norgaudo; † Teoderico; † Agnardo, abbas; † Jacob, abbas; Bonciolo, abbas; † Childradus; † Gondulfus; † Raginardus; † Dodo; † Milo; † Anglemaro, subdiaconus; † Andreas, subdiaconus; † Trumbertus, subdiaconus; † Chrodingo †. Hii sunt testes et eorum signa.

Ego Richerus, ac si indignus diaconus, jussus, hanc paginam testamenti scripsi.

3.

Metz, 25 mai 754.

Chrodegang, évêque de Metz, donne à l'abbaye de Gorze divers biens à Saint-Dizier, Boncourt-en-Jarnisy, Metz, Petershain, etc.

Cartulaire, p. 5-7.

Scriptum donni Grodegangi de Wasnao et de aliis locis.

In nomine Domini nostri Jhesu Christi. Ego Chrodegangus, ac si indignus si non opere vel nomine, gratia Dei Metensis urbis episcopus, una cum commeatu et voluntate illustrissimi viri Pippini, incliti regis, senioris nostri, et cum consensu omnium parium nostrorum, abbatum, presbiterorum, diaconorum, subdiaconorum, vel omnis cleri nostri, seu et hominum Sancti Stephani ecclesie Metensis, vel illorum laicorum bonorum qui ibidem in servitio Sancti Stephani esse videntur, cogitavi, casu humane fragilitatis, qualiter peccata nostra, donante Domino, possi-

mus abluere, et ad eterna gaudia pervenire. Idcirco donamus, de rebus Sancti Stephani, ad illam basilicam sancti Petri et sancti Stephani et sancti Pauli, vel ceterorum sanctorum, quam nos, Deo auxiliante, a novo edificavimus in fine Haldiniaca, in pago Scarponinse, ubi Gorzia fluviolus consurgit, et ad ipsam cellam quam ibidem construximus, et ad opus servorum Dei habitantium, donamus ibidem, per hanc paginam testamenti, unde illi monachi vel pauperes ibidem victum et vestitum vel aliam consolationem possint habere; hoc est curtem Sancti Stephani Somolonna, in pago Pertinse, cum omni integritate sua, et omnes adjacentias suas ad eandem pertinentes. Et donamus ibidem Wasnao in Campania, cum omni integritate, et omnes adjacentias suas ad eandem pertinentes, quicquid ibidem pars ecclesie Sancti Stephani visa est habere. Donamus etiam ibidem Cipiene villam, et Wasane villam, et Bertaldo curtem, in pago Waveinse, cum omnibus adjacentiis eorum, vel aliis que ad ipsas obtingunt, cum omni integritate ad integrum. Donamus etiam ibidem Bavone curtem, Cincinone villam, in ipso Wanverinse, cum omni integritate eorum. Similiter donamus in pago Warmacinse illam basilicam que est in Paterno villa constructa, vel quicquid ad ipsam basilicam legibus obtingit, seu et illam decimam de vino, vel de annona, vel de aliis fructibus, quicquid in ipsa Paterno villa annis singulis est collectum. Et donamus ibidem ad Bredalium unum vinitorem, cum sorte quam ipse vinitor tenet, seu et illam vineam indominicatam quam ipse facit, et illam decimam de illo vino vel de annona, quicquid ibidem annis singulis in ipsa curte est collectum. Donamus ibidem, in pago Magninse, Pumaris sortem cum vinitore, vel illam vineam quam ipse vinitor facit, seu et illam decimam de vino, de annona, quicquid ibidem annis singulis est collectum. Donamus etiam ibidem ad Miliagum unum vinitorem [cum] sua sorte quam tenet, seu et illam vineam

indominicatam quam ipse facit, seu et illam decimam de vino, de annona, quicquid in ipsa curte annis singulis est collectum. Donamus etiam in Subteriore Vico aream cum sessu suo, ubi hinnium ipsi fratres possint habere. Donamus etiam ibidem in Asenago in Campania servos duos cum sortibus eorum, qui verveces ipsorum custodiant, seu et illam decimam de vino vel de annona, de Arrenago et Bocinnago, que ibidem annis singulis est collecta. Donamus ibidem in Mettis vineas duas. Donamus ibidem illam cellam quam Dodo antea habuit, antequam illam cellam Sanctus Stephanus habuisset. Et ista omnia supranominata totum et ad integrum hoc volumus quod ad casam sancti Petri omni tempore proficiat in augmentis. Si quis vero ex successoribus meis, vel dominis meis predicti cleri Metensis, seu quelibet persona, contra hoc testamentum meum venire temptaverit, seu aliquid exinde facere voluerit absque mea voluntate, dum maledicere nolo, nichilominus noverit se in tremendo die juditii, ante tribunal Christi, ex hoc mecum causaturum. Et ut omni tempore hec pagina valeat inconvulsa, actum Metis, publice, sub die et tempore quo supra.

4.

Compiègne, 18 mai 756.

Chrodegang, évêque de Metz, confirme les donations qu'il a faites au monastère de Gorze, les déclare irrévocables, et détermine le mode d'élection de l'abbé de ce monastère.

Cartulaire, p. 7-10. — Publ. dans les Preuves de l'*Histoire de Metz* des Bénédictins, p. 9. Cf. Bœhmer-Muehlbacher, *Die Regesten des Kaiserreichs unter den Karolingen* (751-918), t. Ier, p. 39.

CONFIRMATIO PRIVILEGII DONNI GRODEGANGI, ARCHIEPISCOPI, ANTIQUIOR.

In Dei nomine. Chrodegangus, ac si peccator, Metensis

urbis episcopus. Dum in voluminibus divinarum seriem Scripturarum, juxta possibilitatem et mediocritatem mei sensus, attonitis auribus et sedula consideratione inspicerem, quid Dei filius diceret audiens : « Date et dabitur vobis; » et alibi : « Date elemosinam, et ecce omnia munda fiant vobis, » idcirco cepi mestus conquirere quid pro anime mee remedio, quid pro abluendis ponderibus peccatorum facerem, vel in quibus imitarer exempla priscorum patrum, episcoporum meorum antecessorum, in operibus quibus credimus Deo placuisse. Tunc, per Dei adjutorium, una cum comeatu et voluntate domini nostri piissimi et gloriosissimi regis Pippini Francorum, atque consensu fratrum nostrorum spiritalium, et Deum timentium laicorum fidelium Sancti Stephani, edificavi monasterium in loco qui dicitur Gorzia, in pago Scarponinse, in honore beatissimorum apostolorum Petri et Pauli, necnon et sancti Stephani, seu et ceterorum sanctorum, et fundavi atque dotavi ipsum monasterium de rebus et terris que per venditiones, commutationes, michi legibus obvenerunt, ea scilicet conditione, ut in ipso monasterio monachi, secundum ordinem et regulam sancti patris nostri Benedicti abbatis, amodo et semper perpetuis temporibus, vivant, et, sicut ibi scriptum est, nichil penitus proprium habentes, sed sint illis communia omnia in omnibus, qualiter et pro se et pro aliis valeant exorare. Igitur compulit nos affectio caritatis atque dilectionis fratrum ipsorum, pro eorum quiete et ordine, qualiter, Deo juvante, valeant implere regulam et ordinem suum, et quod nobis, successoribusque nostris maneant ad mercedem, et a recto tramite, inco[n]vulso limite terminare, quod perhennem deinceps, propiciante Deo, obtineant firmitatem. Et ne quis, nobis detrahendo, estimet in id nova decernere, dum antiquitus, juxta considerationem pontificum, videant cetera sibi subjecta monasteria in omnibus esse conservata atque secura, ideoque, pro divino intuitu, vel pro

anime nostre remedio, seu successorum nostrorum pontificum, una cum commeatu et voluntate piissimi et gloriosissimi Pipini regis, et consensu fratrum nostrorum, convenit nobis illis conservare, pro eorum quiete, et ordine, et tranquillitate, ut neque a nobis, neque archidiacono nostro, neque a ceteris ordinatoribus Sancti Stephani, vel a quolibet homine, inquietati nec condempnati, vel de rebus eorum expoliati, contra rationis ordinem, esse non debeant. Sed inspecta eorum instrumenta, juxta constitutionem quam eis instituimus, quieto ordine ipsas res teneant atque possideant; et de hoc quod nos ad ipsum monasterium dedimus atque firmavimus, vel a Deum timentibus hominibus donatum est atque firmatum, aut aliquid munere transmissum, vel in altario offertum, aut sacris voluminibus, seu quibuscumque speciebus, quod ad ornatum divini cultus pertinet, ad presens collata vel deinceps collatura fuerint, non auferamus, et supplici postulatione exoro et postulo dominis et successoribus meis episcopis, et ceteris ordinatoribus Sancti Stephani, per nomen sancte Trinitatis, quod superius intimatum est, perpetuis temporibus, pro eorum mercede agenda ipsis fratribus qui in ipso monasterio esse videntur, conservent, et sit ipsum monasterium subjectum sub mandeburde et defensione Sancti Stephani ecclesie Metensis, sicut in illo instrumento continetur quod de ipso monasterio ad ecclesiam Sancti Stephani fecimus, ut libeat eis pro vita et incolumitate regis, et stabilitate regni Francorum, et pro pontificibus suis suisque subjectis Domini misericordiam exorare.

Et juxta dispensationem divinam, cum abbas de ipso monasterio ad Dominum migraverit, quem unanimiter omnis illa monachorum congregatio obtime regule compertum et vite meritis congruentem elegerint, una cum consensu et voluntate memorate urbis episcopi, ipsum sibi habeant abbatem. Et si in ipsam congregationem,

quod absit! non potuerint talem invenire qui eos regulariter regat, tunc ipse pontifex, cum consensu et voluntate eorum, de alio monasterio eligat abbatem, sicut superius diximus, qui eis regulariter et secundum ordinem presit, et memoratus pontifex in ipso monasterio per nullum ingenium, nullamque occasionem aut cupiditatem, quemlibet abbatem mittat, nisi qui eos secundum ordinem sanctum regat. Et si ipse pontifex aut quelibet alia potestas aliter fecerit in divino districto juditio, ante Dei oculos, cum beatissimo Petro, principe apostolorum, et sancto prothomartire Stephano, exinde reddet rationem. Et si prefatus pontifex, pro lucranda oratione aut visitatione fratrum, quando ei placuerit, in ipso monasterio venerit, vel aliquam moram, pro lucrandis animabus fecerit, cum exinde in Dei nomine vult habere regressum, absque ullo munere terreno requisito revertatur, qualiter monachi, qui solitarii nuncupantur, de profecta quietis vel securitate valeant, Domino protegente, per longa tempora exultare, et sub sancta regula viventes, pro profectu ecclesie et salute regis vel patrie valeant plenius Domini misericordiam et attentius deprecari. Et si, quod absit! ipsi monachi, de eorum regula aut religione tepidi aut negligenter reperti fuerint, secundum eorum regulam ab abbate suo corrigentur. Sin autem ipse abbas non prevalet, tunc prefatus pontifex cohercere debeat, quia nichil de canonica autoritate convellitur quicquid de pontificibus fidei pro quiete tranquillitatis tribuetur. Et ut hoc firmius subsistat vigoribus, et nos et patres nostri domini episcopi in synodo subscriptionem manibus nostris decrevimus roborare, et fratres nostri de congregatione Sancti Stephani fideles ipsius consentientes subscripserunt.

Chrodegangus, peccator episcopus, hanc firmitatem a me factam relegi et subscripsi. Adalfridus, peccator episcopus, subscripsi. Lupus, peccator episcopus, Andreus subscripsi. Ego Fulcharius, vocatus indignus episcopus,

subscripsi. Rothingo advocato. Vulfrannus, vocatus episcopus. In Christi nomine, Hervieus episcopus subscripsi. Segimodo. Ego Mangaudus episcopus subscripsi. Memorianus Corchidianus subscripsi. Deormarus, ac si peccator episcopus, subscripsi. Rabigaudus abbas subscripsi. Jacob, peccator episcopus, subscripsi. Meusebius, peccator episcopus, subscripsi. Audo, peccator episcopus, subscripsi. Chardobachius, quamvis peccator episcopus, subscripsi. Leudetnaus, episcopus, subscripsi. Ego Lupus, quamvis indignus episcopus, subscripsi. In Christi nomine, Ledecharius, peccator episcopus, subscripsi. Fortunus, peccator episcopus, subscripsi. Sedonius, ac si peccator episcopus, subscripsi. Deofridus, episcopus, subscripsi. Sadrius, episcopus, subscripsi. Ego Angilrannus subscripsi. Sadebertus, ac si indignus episcopus, subscripsi. Rotelmus subscripsi. Gontelmus, Brandoinus, Sigilbertus, Zacharie, Rahinaus. Ego Gonterius. Abbo, Adelelmus, Angelelmus. Sadrius episcopus subscripsi. Ego Richerus sive Wasco, ac si indignus diaconus, jussus, hanc confirmationem relegi et subscripsi.

Actum in Compendio palatio, publice, in synodo congregata, anno ab incarnatione Domini DCCLVI, indictione IX, epacta XV, concurrente IIII, anno VI regni Pippini, gloriosi regis, sub die XV kalendas junii.

5.

Argancy (?), 757.

Chrodegang, évêque de Metz, donne à l'abbaye de Gorze Moivron, avec toutes ses dépendances, et une saline à Vic.

Cartulaire, p. 10-12. — Publié dans les Preuves de l'*Histoire de Metz* des Bénédictins, p. 11.

DONNUS GRODEGANGUS EPISCOPUS MONTEMVIRONIS SANCTO GORGONIO DEDIT.

In nomine Domini. Chrodegangus, gratia Dei Metensis

urbis episcopus, audivi et intimo prospexi corde remedialem illam evangelicam sententiam tonantis et dicentis : « Date et dabitur vobis. » Idcirco, pro Dei intuitu, vel pro mercedis nostre, successorumque nostrorum augmento, una cum consensu fratrum nostrorum canonicorum, vel laicorum fidelium Sancti Stephani, dono ad monasterium quod vocatur Gorzia, quod ego, in nomine Domini, a novo edificavi in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli, vel sancti Stephani, in pago Scarponinse, donatumque imperpetuum esse volo. Propterea, quia in nomine Domini cepit ipsa congregatio crescere in numero fratrum, et in exemplum sancte et religiose conversationis, ut habeant victum et vestitum quibus tegantur et sustententur, quatinus libeat eis pro domini regis vita, et salute ipsius anime, et pro nobis, successorumque nostrorum attentius Domini misericordiam exorare; et quia consideravimus eis esse necessaria que pauca ante ibi dedimus locella, et illa que indominicata non fuerunt, et hec que modo donamus similiter non in dominico, sed in beneficio usque nunc fuit, hoc est Montemvironem, in pago Scarponinse, cum omni integritate vel soliditate sua, cum terris, domibus, edificiis, mancipiis, litis, libertis, conlibertis, acolabus, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, cum adjacentiis vel appendiciis, quicquid ad ipsam villam aspicere vel pertinere videtur, cum peculio utriusque sexus, tam majora quam minora, mobilibus et immobilibus, quicquid dici aut nominari potest, rem inexquisitam, totum et ad integrum, a die presenti, ad jamdictum monasterium vel monachis ibidem conversantibus, seu pauperibus alimoniam sperantibus, dono atque transfundo. Similiter dono ad ipsum monasterium, in Subteriori Vico qui dicitur Bodesio vico, officinam cum sesso, et ducto et stadile, vel omnia adjacentia ad se pertinentia, ita ut hec loca superius nominata, a die presenti, ipsi fratres vel successores eorum habeant, teneant atque possideant, vel quicquid

exinde, pro oportunitate ipsius monasterii, elegerint, faciendi liberam ac firmissimam in omnibus habeant potestatem. Et humiliter precamur successores nostros, propter Deum et reverentiam sancte Trinitatis, ut hanc donationem a nobis propter nomen Domini factam, eis conservare in evis temporibus jubeant, sicut et ipsi facta sua voluerint a succedentibus esse servata, et ut nostra et eorum merces firma in evis temporibus perduret.

Actum in villa Arconiago, publice, anno ab incarnatione Domini D CC LVII, indictione x, epacta xxvi, concurrente v, anno vii° regni Pippini regis.

Signum Chrodgangi, archiepiscopi, qui ipsam cartam fieri jussit. Signum Foldberti, Angelramni, † Andree, † Arthecarii, Nicherii.

6.

Loisey (?), 15 mai 759.

Radulfus et sa sœur Agla donnent tout ce qu'ils possèdent à l'abbaye de Gorze.

Cartulaire, p. 12.

DONATIO QUAM FECIT (*sic*) RADULFUS ET GERMANA SUA AGLA, SUB GUNDELANDO ABBATE.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ego Radulfus et germana mea Agla, ita devotio et voluntas nostra est ut, pro anime nostre remedio, vel veniam peccatorum mereamur; idcirco donamus res nostras ad monasterium sancti Petri Gorzie, quod dominus Chrodegangus episcopus construxit, ubi in Dei nomine Gundelandus abbas preesse videtur. Hoc est quicquid genitrix nostra Farila in fine Laucetinse et Garricinse visa fuit tenere, tam de pro-

prio quam de comparato, medietatem, tam mansis, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumve decursibus, cum omnibus adjacentiis suis, sepedicto monasterio sancti Petri, cujus vocabulum est Gorzia, de jure nostro in potestate vel dominatione ipsius monasterii tradimus atque transfundimus, ut ipse abbas, vel successores ejus, seu et gentes ipsius monasterii, in earum dominatione hoc habeant, teneant, atque possideant, vel quicquid de ipsis rebus facere decreverint pro oportunitate ipsius monasterii liberam in omnibus habeant potestatem. Si quis vero, quod fieri non credimus, de heredibus nostris, vel quelibet ulla opposita persona, contra hoc nostrum testamentum vel donationem, quam propter nomen Domini nostri Jhesu Christi, spontanea voluntate nostra, fieri vel conscribere rogavimus, venire temptaverit aut infringere voluerit, et sibi quod repetit nichilominus vendicare non valeat, sed presens estimatio vel donatio a nobis facta firma et illibata permaneat, adstipulatione subnixa.

Actum Lauciago, publice, anno ab incarnatione Domini DCCLVIIII, indictione XII, epacta XVIII, concurrente VII, anno regni Pippini IX, id[ib]us maii.

Rigelus, in Dei nomine rogatus, hoc testamentum vel rogationem scripsit.

Signum Radulfi, qui hanc donationem fieri rogavit. Signum Agyane, germane sue. Signum Hainradi. Signum Albigi, sui (*sic*) consentientis. Signum Wolfrati. Signum Walneardi. Signum Adhalgni. Signum Odini. Signum Chidulfi. Signum Widgaudi.

7.

1er janvier 761.

Flemerandus et sa femme Primigenia donnent à l'abbaye de Gorze, en s'en réservant l'usufruit contre paiement d'un

cens, tous leurs biens à Thiaucourt, Hadonville (?) et Buxières-lès-Chambley.

Cartulaire, p. 13 et 14. — Publié dans les Preuves de l'*Histoire de Metz* des Bénédictins, p. 12.

De Thialdi curte et de Scamnis.

Venerabili in Christo patri Theumaro abbati, una cum illis fratribus qui in Gorzia monasterio consistere videntur, Fidentia sive Flemerandus, et conjunx sua Primigenia, pariter precatores. Cognoscatis, dum et omnibus non habetur incognitum, qualiter nos donamus rem nostram in pago Scarponinse, in loco nuncupato Theaucort, super fluviolum Magide, et in alio loco, in ipso pago Scarponinse, in Daulfi villa, seu et in fine Buxarinse, id est, tam mansis, domibus, edificiis superpositis, casis, casulis, curtilis, ortilis, olcis, campis, pratis, pascuis, perviis et terris aratoriis, cultis et incultis, silvulis, omnia et ex omnibus, aquis aquarumve decursibus, tam de paterno, materno, seu et de comparato, vel quod conjunx mea Primigenia, per suum libellum dotis adquisivit. In reliquo vero, quicquid dici aut nominari potest, rem inexquisitam, totum et ad integrum, per nostram cartulam donationis sive testamenti, ad partem sancti Petri vel sancti Gorgonii, vel vobis, condonamus vel affirmamus. Postea nostra fuit peticio, et vestra fuit voluntas, ut ipsas res, diebus vite nostre, aut qui pari suo ex nobis supervixerit, absque contradicto ipsius monasterii, vel vestro successorumque vestrorum, diebus vite nostre valeamus excolere, vel usare, et nichil exinde ullum pontificium habeamus aliquid minuendi, nisi quicquid addere aut inmeliorare vel adtrahere potuerimus. Post discessum nostrum, quando quidem Deus voluerit, ipse res emeliorate, absque ullius contradictione, vel judicis assignatione, ad ipsum monasterium omnimodis revertantur. Et convenit ut in censum

annis singulis ad festivitatem sancti Gorgonii, quod est v idus septembris, libram de cera dare et adimplere faciamus. Quod si de ipso censu negligentes aut tardi fuerimus ad reddendum, cum legis beneficium est, fidem exinde faciamus, et ipsas res diebus vite nostre valeamus excolere vel usare.

Facta precaria anno ab incarnatione Domini DCCLXI, indictione XIIII, epacta XI, concurrente III, anno XI regni Pippini regis, kalendis januarii.

Signum Fidentie sive Herneraudi, et conjugis sue Primigenie, qui hanc precariam fecerunt et affirmare rogaverunt. S. Adalrarii; S. Volfradi; S. Dolcaudi. Ego Aldaradus, peccator presbiter, hanc precariam rogatus scripsi et subscripsi.

8.

Gorze, 19 mai 762.

Childeraudus et sa femme Andegaldana vendent à l'abbaye de Gorze tous leurs biens à Pagny (?), Vittonville (?) et Norroy (?), ainsi qu'un serf avec sa femme et ses enfants.

Cartulaire, p. 14-16.

VENDICIO QUAM FECERUNT HILDRADUS ET UXOR EJUS DE REBUS SUIS AD PUNTIBANIUM.

Domino et sancto et apostolico patri Chrodegango, archiepiscopo, atque abbati Theumaro, et Boboni preposito, necnon et ceteris monachis Gorzinse presentibus pariter et futuris, Childeraudus, filius Waldemari quondam, una cum consensu conjugis mee Andegaldane, filie Lancheri, proprietates nostras pariter vendidimus per hanc paginolam venditionis, quam, presenti et rogante Adalrado, lectore et amanuensi, scribere rogavimus ad

partem sancti Petri et sancti Pauli Gorzinse; hoc est res nostras sitas in pago Scarponinse, villa cujus vocabulum est Pontibannio sive et Witel villa, cum omni integritate ad ipsas pertinentes, cum mansis, campis, olchis, pratis, silvis, vineis, arboribus, ortulis, domibus, edificiis, casis, casulis, omnibus edificiis superpositis, cum omni integritate, mobilibus et immobilibus, perviis, aquis aquarumve decursibus, cultis et incultis, et terris aratoriis, tam in giro Moselle, quam in giro fluvioli Mortici, et illis terris in montanis, vel quicquid in jamdicta loca aspicit, tam paterno, materno, seu et de comparato, et quicquid per venditiones, commutationes, traditiones ad supradicta loca aspicit, sicut jam diximus, vel de quolibet adtracto conjugi mee Audegardane hoc venisse aut legibus obvenire debebit de genitrice sua Dodane, socru mea, totum et ad integrum, et quicquid per venditionis titulum de Agrulfo, dato precio, comparavimus, vel quicquid in jamdicta loca aspicit, totum et ad integrum; similiter mancipia et servos nostros : Gontarium cum uxore sua Adaliurane, cum infantibus eorum Grimero, Wilfingo; hec sunt mancipia que de socero meo Lanchero conjugi mee Andegaldane legibus obvenerunt, totum et ad integrum; similiter in fine Manrwogiaca, tam terris, pratis, campis, cum omni integritate in ipsa loca, totum et ad integrum. Disterminant ipsi mansi jam superius dicti ab uno latere alodii Maurelandi, cum consortibus suis, quod ad illum pervenit de conjuge sua Renegarde, et alio latere Gailane, cum consortibus suis et Ebroalogo, et uno fronti via publica, alio vero fronti fluvio Mosella. Ipsos mansos vel quicquid ad ipsos mansos aspicit, vel in ipsa villa visi fuimus tenere aut dominari, mobilibus et immobilibus, utriusque sexus, generis, vilitatis, totum et ad integrum, de jure nostro in jure ipsius ecclesie, vel ipsis monachis in manibus eorum tradimus vel vendimus ad possidendum; et pro hoc accipimus a vobis in precio taxa-

tum, sicut inter nos bene complacuit atque convenit, in auro, et in argento, atque pensanti numero, in libras septem tantum, ut ab hac die habendi, donandi, commutandi, vendendi, vel quicquid de ipsis rebus vel de ipsis mancipiis jam supradictis in Dei nomine facere volueritis, liberam ac firmissimam in omnibus habeatis potestatem faciendi. Si quis vero, quod futurum esse aut fieri non credimus, si nos ipsi aut ullus de heredibus vel proheredibus nostris, seu quislibet aut ulla opposita persona contra hanc paginolam venditionis, quam nos spontanea voluntate fieri et firmare rogavimus, agere vel venire temptaverit, aut si fortasse invendicare voluerit, et non defenssavimus quod vobis vendidimus, aut heredes nostri tantum et aliud tantum quantum suprascripta venditio vel ipse res emeliorate valuerint, dupla pecunia nos vobis vel heredes nostri spondeo reddituros, et inferat una cum socio visco auri libras tres, argenti pondo quinque mulcta sustineat, et quod repetit quisquam invendicare non valeat, sed presens venditio ista omni tempore firma et inviolata permaneat, astippulatione subnixa.

Actum Gorzie monasterio, in honore sancti Petri facta venditione, anno ab incarnatione Domini DCCLXII, indictione XV, epacta XXII, concurrente IIII, anno XI regni Pippini regis, XIIII kalendas junii.

Signum Childeradi et signum Aldegadane, conjugis sue, pariter qui hanc venditionem in publicum fieri et affirmare rogaverunt. S. Waldemari, filii eorum consentientis. S. Lancheri, soceri Childeradi. S. Truberti. † Gunderdi. † Sigleberti. † Nivelungi. † Haldini. † Fredalagi. † Burgardi. † Adalbaldi.

Ego Adalradus, ac si indignus peccator et amanuensis rogatus, hanc venditionem scripsi.

9.

15 juin 762.

Le pape Paul Ier consacre le monastère de Gorze, dont il met tous les biens sous la protection du Saint-Siège. Aussitôt après cette consécration, le roi Pépin II, qui y assiste, fait donation au monastère du domaine de Novéant avec toutes ses dépendances.

Cartulaire, p. 16 et 17. — Publ. par Meurisse, *Hist. des évêques de Metz*, p. 164. Cf. Bœhmer-Muehlbacher, *Regesten des Kaiserreichs*, etc., I, 42.

DOTALICIUM QUO PIPPINUS REX DOTAVIT ECCLESIAM GORZIENSEM IN DIE QUA DEDICATA EST.

Gloriosus itaque Chrodegangus, Metensis episcopus, perfectis Gorzie habitaculis et murorum decore in circuitu bene compositis, domnum apostolicum Johannem[1], qui tunc in Magontia concilium adunaverat, adiit, et eum, omnesque quos poterat episcopos, ad benedicendum monasterium conduxit, in quo postea nobilissimum martyrem magnumque patronum Roma delatum collocavit Gorgonium. Beatus igitur papa, monasterii consecratione ecclesiastico more completa, cum inter missarum celebrationem clarum exhortationis habuisset ad populum sermonem, hunc tandem loquendi fecit finem. « Quoniam, inquit, in nomine Domini sumus congregati, non duo tantum vel tres, verum etiam XXIIII ecclesiarum Dei presules, secundum ipsius promissionem, Christum in medio nostrum esse credimus presentem et nostri officii cooperatorem, de cujus nos misericordia confidentes, in verbo ejus, sub testimonio filii nostri regis christianissimi et presentis

1. *Sic* pour *Paulum*.

ecclesie, statuimus pacem loco Gorziensi, et perpetuam libertatem, in quo cum quiete monachi, et sine impedimento seculari, Deo nostro servire debeant omni tempore securi. Et ut proposito suo liberius insistant, interdicimus auctoritate apostolorum Petri et Pauli, in quorum honore locus ipse dedicatus est, ut nullus episcopus, clericus aut laicus, de rebus eorum necessitati fidelium devotione et precipue carissimi fratris nostri Chrodegangi, datis vel dandis ecclesiis, decimis, villis, redditibus sive omnibus que ad eos pertinent, imminuere, usurpare aut extra rationem inquietare presumat. Si quis autem hujus decreti nostri tenorem sciens scelerato ausu contemptor extiterit, et pauperum Christi sustentationem, deliberato consilio et corde perverso, nimie et indiscrete invadens abstulerit, nisi resipuerit, et monachos quos lesit digna satisfactione placaverit, ut sacrilegus anathematis vinculo eternaliter obligatus sit. » Quam sententiam cum ceteri una voce confirmassent episcopi, dicentes : « Amen, Amen ; » et placuisset omnibus, rex processit ad altare, devotus, offerens super illud fiscum regium qui Noviant vocatur, cum omnibus appendiciis ejus, moxque privilegii sui auctoritate corroboravit retinendum ecclesie ; deinde multi nobiles offerebant multa, cum tali gaudio et leticia qualis non fuit in regione nostra nec ante nec postea.

Acta sunt autem hec omnia in conspectu gloriosissimi regis Pippini secundi, XVII kalendas julii, anno quoque D CC LXII ab incarnatione Domini.

10.

762.

Le roi Pépin donne à l'abbaye de Gorze divers biens à Dombasle.

Cartulaire, p. 17 et 18. — Publ. par D. Calmet, *Hist. de Lorraine*, II, col. XCV; par Meurisse, *Hist. des évêques de Metz,*

p. 166; et dans *Gallia christiana*, XIII, Instr., col. 371. Indiqué par Bréquigny, *Table chron. des dipl.*, ad ann. 752; par Bœhmer-Muehlbacher, *Regesten des Kaiserreichs unter den Karolingern*, I, 42; et par Sickel, qui range ce diplôme parmi les *Acta spuria*, dans ses *Acta regum et imperatorum Karolinorum*, II, 413.

PRECEPTUM DONNI PIPPINI REGIS DE POSSESSIONIBUS NOSTRIS.

In nomine sancte et individue Trinitatis, Pippinus divina favente gratia rex. Quicquid enim locis sanctorum venerabilium ubique Deo degentium fratrum ob honorem Domini nostri Jhesu Christi pia devotione augmentamus vel confirmamus, hoc nobis procul dubio ad mercedem vel stabilitatem regni in Dei nomine pertinere confidimus, et profuturum nobis ad presentis vite curricula felicius transigenda, necnon et beatitudinis premia securius obtinenda non dubitamus. Quapropter, precibus venerabilis Crhodegandi archiepiscopi admoniti, donamus ex rebus nostri juris in pago Salnensi et in comitatu Scarponinsi, in villa que Domnobusila vocatur, mansos VI, et ecclesiam cum decimacione et omni integritate ejusdem ville, ad locum sancti Petri et sancti Pauli, sanctique Gorgonii eximii martyris, ubi Gorzia fluviolus consurgit; eo scilicet rationis tenore, ut deinceps, nostris futurisque temporibus, potestatem habeant monachi in ipso loco manentes de prefatis rebus ordinandi, legitimo dumtaxat jure, de suis usibus quicquid rationabiliter voluerint vel elegerint facere, et pro mercedis nostre augmento attentius Domini implorent misericordiam. Et ut hec nostre donationis confirmatio futuris temporibus firmior habeatur, manu propria nostra subter eam firmavimus, et anuli nostri impressione signari jussimus.

Actum anno quo supra.

Signum gloriosissimi Pippini regis; Angelranni; S. Godefridi; S. Alberti; S. Wizelini; S. Johannis, cappellani prefati regis.

11.

Metz, 25 mai 765.

Chrodegang, évêque de Metz, du consentement de Pépin, roi des Francs, son oncle, donne à l'abbaye de Gorze des biens à Petershain, Flamersheim, Isenburg, etc., dans le pays de Worms, et détermine les conditions dans lesquelles ces biens devront être entretenus et cultivés.

Cartulaire, p. 18-21. — Publ. par Meurisse, *Hist. des évêques de Metz,* p. 168, et par D. Calmet, *Hist. de Lorraine*, II, col. CV-CVII.

TESTAMENTUM QUOD FECIT DONNUS GRODEGANGUS DE CURTE QUAM HABEMUS IN PATERNI VILLA.

In nomine sancte et individue Trinitatis, omnibus Christi fidelibus bonis ditari perhennibus, Chrodegangus, Dei gratia Mettensis urbis archiepiscopus, servorum Dei ultimus et pontificali officio indignus. Ego Chrodegangus, una cum voluntate illustrissimi viri Pipini senioris, incliti Francorum regis, avumculi mei, et cum consensu parium nostrorum, episcoporum, abbatum, presbiterorum, diaconorum, subdiaconorum, vel omnis cleri nostri, seu et hominum Sancti Stephani Mettensis ecclesie, cogitavi, casu humane fragilitatis, qualiter peccata nostra, donante Domino, possimus abluere et ad eterna gaudia pervenire. Idcirco donamus de rebus nostris quas jure hereditario possidere videmur, ad illam basilicam sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et sanctorum martirum Stephani et Gorgonii, vel ceterorum sanctorum, quam nos, Deo auxiliante, a novo edificavimus, in loco qui dicitur Gorzia, ubi ejusdem nominis fluviolus consurgit, in pago Scarponinse, et ad opus servorum Dei illic habitantium, confirmantes per hanc paginam testamenti, unde fratres ibi degentes victum et vestimentum, vel aliam consolationem possint habere, scilicet : in pago Warmaciensi basilicam unam in Paterni

villa, in honore sancte Marie conditam, vel quicquid ad ipsam basilicam legibus obtingit in omni decima, de vino vel de annona, aliisque fructibus, quicquid in ipsa villa singulis annis fuerit collectum. Damus quoque curtem indominicatam, cum casa et aliis edificiis superpositis, cum servis et ancillis, et vinearum particulis indominicatis, ad VIII mansos de terra arabili, ad unam sationem jurnalis XIIII, ad aliam sationem VII et dimidium, exceptis ancingis; singuli autem mansi binas ancingas habent, molendinum unum cum III jurnalibus, aclam I solventem denarios X; in eadem villa damus VII mansos et dimidium; solvit unusquisque denarios XXX; sunt in summa solidi XVIII, et denarii VIII; angaria usque ad flumen Sare, aut pro redemptione denarios X; pro opere XIIII dierum redimendo denarios VIII, pullos V, ova XLVIII, carratas lignorum V. Predictos mansos damus cum omni servitio nobis debito. Debent autem curtem indominicatam muro circundare, vineas vallo munire, vigilare, lectos dare, arare, semina de curte accipere, metere et in horreum ducere, atque triturare, horreum cooperire, in vindemiis torcular verrere et aquare, fimum curtis in campos educere, aquam molendenariam mundare, palos dare, domum ipsam edificare et cooperire, avenam de silva que ad villam Isemburc pertinet, ad Paterni villam angariare. In eadem Paterni villa, in curte indominicata, cyppus habeatur. Et si quis mundilionus Sancti Gorgonii de rectitudine sua quicquam facere noluerit, ab advocato et ministeriali in cippum proiciatur, et sic justificare cogatur.

Damus etiam in villa Dagolbeshei I mansum et II jurnalia vinearum; solvit solidos V, pullos II, ova XII, et nullum aliud servitium; item in ipsa villa dimidium mansum, et III jurnalia vinearum; solvit denarios XXX, pullos II, ova XII; item dimidium mansum, qui solvit denarios XV et nichil aliud; in hosto, Venbuodo dimidium mansum tenet, qui solvit denarios XXX et nichil aliud.

Item damus in villa Flamershe ecclesiam in honore sancti Gorgonii conditam, ad quam respicit unus mansus et tres partes vinee; solvit libram unam, decimasque omnium rerum totius ville; curtem indominicatam, cum casa et aliis edificiis superpositis, cum mancipiis, cum terra indominicata culta et inculta, cum pratis ac vineis, cum banno et omni servitio nobis debito, hoc est, cum tauro et verre et ariete. Ad terram indominicatam pertinent VII mansi et dimidius, cum ancingis suis; unusquisque XII ancingas habet inter arabilem terram et vineas, quorum servitium tale est : debent omni nocte vigilare, ipsasque vigilias cum clava invicem notificare, lectos dare, curtim sepire, vineas quoque sepire, quod vulgo dicitur *manuerč* arare, semina de Isimburc adducere, metere, et in horreum ducere; idem horreum cooperire; si combustum fuerit, ad ejus restaurationem per unam leugam ligna advehere, et reedificare; fenum secare et in horreum ducere, torcular verrere et aquare angariam usque ad flumen Sare, aut pro redemptione denarios X. Unusquisque mansus solvit in Pascha denarios XXX, pullos V, ova XLVIII; in Nativitate Domini IIII carratas lignorum et IIII denarios. In secundo semper anno debent ad molendinum Parteshe XIIII denarios, quod vulgo dicitur *asthelblinc;* si molendinum quocumque modo defecerit, occidentalem parietem reedificare ultra rivulum, in campo qui dicitur Mers. Si quis vendiderit aut cambiverit jugerum de terra que dicitur Zimsta, dabit inde ad curtem XII denarios et advocato sex; de illa autem terra nullus audeat alodium facere. Singulis annis eligant rustici duos forastarios ad custodiendos campos fideliter; et primo anno constituantur a curte, secundo ab advocato, tercio ab ipsis rusticis; ipsique forestarii omnibus annis persolvant ad curtem XII denarios et advocato VI. Quicumque mansum vel aclam de terra nostra possederit, moriens bovem unum ad curtem dabit, quod vulgo dicitur *herdocso;* aut

si bovem non habuerit, XII denarios persolvet. De tauro autem, et verre et ariete, de quibus supra diximus, hec rectitudo est : si quis taurum, verrem vel arietem in vinea sua vel agro invenerit, non moleste sed modeste eum eiciet; si quis debilitaverit aut occiderit, dampnum restituet; insuper ad curtem dabit V solidos et advocato XXX denarios. In ipsa villa Flamershei, in curte indominicata, cippus habeatur. Et quia villam cum toto banno tradimus, quicumque bannum fregerit, sive in agro, sive in villa, persolvat ad curtem V solidos et advocato XXX denarios; si persolvere noluerit, in cyppum mittatur.

De omnibus mundilionibus, quos in Warmacensi regione damus, veniunt V solidi et VIII denarii in missa sancti Martini, et in anno tria placita non jussa in Flamershei curte requirunt; si neglexerint, advocatus et ministerialis ad eorum domos ibunt et constringent.

Item in villa Isinburc damus ecclesiam unam in honore sancti Gorgonii conditam, cum omni decimacione tocius parrochie, ad quam respicit unus mansus et II partiscule vinee; solvit solidos V; curtem indominicatam, cum casa et horreo, cum terra culta et inculta, pratum unum et quartam partem silve que dicitur Stamph, cum banno et omni rectitudine ad silvam pertinente. Si quis banum infregerit, dabit ad curtem V solidos, et advocato XXX denarios; si noluerit, in cippum mittatur. In eadem parrochia damus VII mansos ad curtem pertinentes; solvit unusquisque XXX denarios, et IIII carratas lignorum, quarum II ad curtem Isinburc, reliquas ad Paterni villam devehet, cum palis, molendinariis et verubus, et reliquum omne servitium quemadmodum illi de Patersheim.

Si quis vero ex successoribus nostris, vel dominis meis cleri Metensis, seu quelibet persona, contra hoc testamentum meum fecerit, judicio Dei omnipotentis omniumque sanctorum ejus, eterne ultioni subjacebit. Et ut omni tempore hec pagina testamenti mei maneat inconvulsa,

more antiquorum sigilli nostri et principum idem consentientium adnotatione corroborari subter curavimus.

Chrodegangus, peccator archiepiscopus.

S. Griphonis, majoris domus, fratris domini Pippini regis; S. Carli, filii regis; S. Hildradi, ducis; S. Rodingi, comitis; S. Hamedei, advocati; S. Gaisonis; S. Norgaudi; S. Zacharie; S. Teoderici; S. Dudonis; S. Milonis; S. Angelmari; S. Agnardi abbatis; S. Jacobi abbatis; S. Boncioli abbatis; S. Andree; S. Gondulfi; S. Trumberti; S. Grimaldi; S. Azonis; S. Ulradi.

Si quis autem ex successoribus nostris vel quibuscumque personis hoc testamentum in aliquo irruperit, iram Dei omnipotentis incurrat; insuper ad monasterium inferat auri libras III, argenti VI advocato.

Ego frater Adeodatus recognovi et scripsi.

Actum Mettis, publice, anno ab incarnatione Domini DCCLXV, indictione III, epacta XXV, concurrente I, XXV die mensis maii, luna ipsius diei XXX, anno XV regni Pippini regis.

12.

Fontaines, 770.

Angilran, évêque de Metz, donne à l'abbaye de Gorze le domaine de Varangéville et d'autres, dans le Chaumontois.

Cartulaire, p. 21-23. — Publ. par Meurisse, *Hist. des évêques de Metz*, p. 174, et par D. Calmet, *Hist. de Lorraine*, II, col. CXIII-CXV.

Donatio de Warengisi villa.

In nomine Domini, Angilrannus, gratia Dei Mettensis urbis episcopus. Pastorale quidem exercemus officium, si oves nobis a Domino commissas, in quantum vires Omnipotens suppetit, undique conspicimus, ut alimoniam tam spiritalem quam corporalem habere non desinant, et si de

rebus ecclesie senioris que nobis ad regendum vel gubernandum tradita est, in ecclesiis vel monasteriis ad eandem pertinentibus vel aspicientibus, pro oportunitate servorum Dei vel pauperum aliquid impertimur, nichil contra auctoritatem canonicam vel instituta patrum agere estimamus. Ideoque, pro divino intuitu vel anime nostre remedio, una cum consensu clericorum vel laicorum fidelium ecclesie Sancti Stephani cui, auctore Deo, preesse videmur, donamus ad monasterium sancti Petri, in loco qui vocatur Gorzia, quod bone recordationis antecessor quondam noster dominus Chrodegangus archiepiscopus a novo edificavit, vel ad illam sanctam congregationem monachorum inibi consistentium, ubi inclitus ac preclarus videlicet martyr sanctus Gorgonius in corpore requiescit, vel ubi Theutmarus abbas sub manu nostra preesse videtur, donatumque imperpetuum volumus esse, et plena animi devotione confirmamus; hoc est in pago Calvomontinse, villam nuncupatam Waringiso villa, cum adjacentiis vel appendiciis, seu oportunitatibus suis, tam terris, campis, pratis, pascuis, vineis, silvis, cultis et incultis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, mancipiis, litis, acolabus, pecuniis, peculiis, utriusque sexus, generis vel etatis, cum integro termino solidoque statu suo, omnia et ex omnibus, totum et ad integrum, quantumcunque ad ipsam villam aspicere vel pertinere videtur, ad ipsum monasterium vel ad ipsos fratres volumus esse donatum.

Simili modo donamus in ipso pago rem illam in Manunone curte, quam Haribertus ad partem Sancti Stephani condonavit, et modo tenet filius suus nomine Chrotcharius per precariam.

Similiter donamus in ipso pago rem illam in Thensaldo curte, quam Beto ad partem Sancti Stephani delegavit, et ipse modo per precariam tenet, seu et sortem illam in ipsa villa, quam Nebolungus per beneficium Sancti Stephani vel nostrum tenere videtur.

Simili conditione donamus in ipso pago rem illam in villa Acciago, una cum illa ecclesia inibi constructa, cum omnibus ad ipsam pertinentibus, quam Aglibertus, filius Marcelli, per beneficium Sancti Stephani vel nostrum visus est habere.

Donamus et rem illam in ipso pago, cognominante Vidulo, quam Ibinus per beneficium Sancti Stephani vel nostrum videtur habere, necnon et illam rem in villa Buxarias, quam usque nunc Gondolannus per beneficium Sancti Stephani visus fuit tenere, ad ipsum monasterium sit delegata vel data.

Similiter donamus res illas in ipso pago, in loco nuncupato Haldulfo curtem, et ad Bautsolo villam, quas Maurontus per suum testamentum ad partem Sancti Stephani condonavit.

Simili modo donamus res illas in ipso pago Calvomontinse, quas Harbertus et Warnildis ad partem Sancti Stephani per suum testamentum delegaverunt, et modo ipsa Warnildis per precariam habere videtur, in loco nuncupante Arcas, seu et Aigone monte, ad ipsam casam Dei proficiant in augmentis.

Similiter donamus res illas in ipso pago ad Tumbas, super fluvium Cernone, quas Halibertus ad partem Sancti Stephani delegavit, et modo filius suus Rabotdus per precariam tenet.

Similiter donamus res illas super ipsum fluvium Cernone, quas Saibardus ad Sanctum Stephanum dedit.

Simili conditione donamus in pago Suggentinse villam numcupatam Childufo villa, quam nunc Notto comes per beneficium Sancti Stephani vel nostrum habere videtur, una cum illa sorte quam Gonthadus ad Sanctum Stephanum dedit, et ipse modo per precariam tenet.

Hec omnia superius comprehensa, tam in terris, domibus, edificiis,campis, pratis, vineis, silvis, cultis et incultis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus,

mancipiis, litis, acolabus, adjacentiis, appendiciis, cum integris terminis solidisque statis earum ad easdem res pertinentibus vel aspicientibus, ad ipsum jam fatum monasterium vel ipsos fratres proficiant in augmentis, ut eos melius delectet pro nobis, vel inclitis regibus nostris Carolo atque Carolomanno, seu stabilitate regni Francorum, et successoribus nostris Domini misericordiam attentius exorare. Et quisquis ex istis hominibus superius nominatis, vel aliis quibuslibet, de rebus superius intimatis, per beneficium Sancti Stephani, vel per precarias ad censum habere videntur, illud censum quod usque nunc in domum ad opus nostrum dederunt, deinceps in antea ipsum censum ad ipsum sepedictum monasterium vel ad ipsos fratres persolvant. Et cum de hac luce discesserint, et dies obitus eorum advenerit, post eorum discessum ipsas res cum omni superposito, absque ullius contradictione, vel judicis, vel pontificum successorumque nostrorum, expectata traditione, ipsi fratres in suam recipiant potestatem; precorque successores dominosve meos, et per sanctam Trinitatem adjurare presumo, ut facta mea sic in evum perdurare permittant, sicut ipsi habent velle, ut gesta eorum in perpetuum perseverent.

Actum super fluvium Mose, in loco qui vocatur Fontanas, anno ab incarnatione Domini DCCLXX, indictione VIII, epacta XIX, concurrente VII, anno I regni Carolomanni regis.

Ego Angilrannus, peccator episcopus, hoc testamentum a me factum relegi et subscripsi. Ego Grimaldus abbas subscripsi. Ego Helborardus abbas subscripsi. Ego Giso abbas subscripsi. Ego Sigilbertus abbas subscripsi. Fredalius, peccator corepiscopus, subscripsi. Stephanus presbiter subscripsi. Andreas subscripsi. Donatus subscripsi. Ego Ricfridus subscripsi. S. Widigaugi. Harimaudus subscripsi. S. Dodone. S. Hardowino. S. Hildebodo. S. Adulfo.

Ego Wasco, jussus a domino et pontifice meo Angilranno, hoc testamentum scripsi et subscripsi.

13.

770.

Angilran, évêque de Metz, donne à l'abbaye de Gorze les domaines de Foug et de Jouy.

Cartulaire, p. 23-25. — Publ. par Meurisse, *Hist. des évêques de Metz*, p. 176, et par D. Calmet, *Hist. de Lorraine*, II, col. CIX.

TESTAMENTUM DONNI ANGELRANNI DE FAO ET GAUDIACO.

Cum Christus, unicus filius Patris, qui cum Patre et Spiritu sancto cuncta creavit ex nichilo, non dedignatus sit animam pro ovibus suis ponere, et adquisitas proprio cruore servo sibi credito tradidit custodiendas, ipse cui committuntur perspicere ac sollerti studio pervigilare debet, ut gregem sibi commissum, in quantum ipse qui tradidit ei vires tribuere dignabitur, non negligendo necessaria omnia, tam spiritualia quam et temporalia, impendere studeat, et talentum sibi creditum cum usuris domino suo representet. Ideoque ego in Dei nomine Alchirannus, gratia Dei Mettensis urbis episcopus, pro divino intuitu, vel anime nostre remedio, seu pro eterna retributione, una cum consensu cleri vel laicorum fidelium Sancti Stephani, prothomartiris, peculiaris patroni nostri, cui ecclesie, auctore Christo, preesse disnoscimur, donamus ad monasterium Gorzie, quod subjacet ipsi ecclesie Sancti Stephani, quod predecessor noster bone recordationis, domnus Chrodegangus archiepiscopus, in honore sancti Petri vel ceterorum sanctorum a novo edificavit, et turbam monachorum sub sancta norma vitam degentes coacervavit, vel ubi sanctus Gorgonius, preclarus videlicet mar-

tyr, in corpore requiescit, et ubi Theomarus abbas sub manu nostra rector esse videtur, hoc est, res illas de ratione Sancti Stephani, id est, in pago Bedinse, villam nuncupatam Faho, quam nunc per beneficium Sancti Stephani vel nostrum Fredelaigus, vassus domini Carolimanni regis, per precariam nostram tenere videtur, necnon et villam aliam de ratione ipsius Sancti Stephani, sitam in pago Wabrinse, cognominatam Gaugiaco, quam Godfridus, similiter homo dominicus, per beneficium Sancti Stephani vel nostrum, per precariam tenere videtur, ad ipsum jam fatum monasterium, vel ad illam sanctam congregationem inibi vitam ducentem, volumus esse donatum; hoc est, tam terris, domibus, edificiis, campis, pratis, pascuis, vineis, silvis, cultis et incultis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, mancipiis, litis, acolabus, adjacentiis, apendiciis, cum integris terminis, solidisque statis earum, ad easdem villas jam fatas, Fao et Gaugiaco, aspicientibus, vel pertinentibus ad partem sancti Petri vel sancti Gorgonii, seu ad ipsos fratres proficiat in augmentis, ut eos melius delectet pro nobis vel inclito rege nostro Carlomanno, seu stabilitate regni Francorum, et successoribus nostris, Domini misericordiam adtentius exorare, et illum censum quem usque nunc ipse Fredelaigus vel Godfridus ad partem Sancti Stephani vel nobis dederunt, ipsum ad partem ipsius monasterii vel ad ipsos fratres annis singulis persolvant. Et cum ipsi de hac luce discesserint, ipsi fratres ipsas jam fatas villas, cum omni superposito, absque ullius contradictione, vel judicis, aut pontificum successorumque nostrorum, expectata traditione, in eorum recipiant potestatem. Queso namque successores patresque meos episcopos, et per inseparabilem Trinitatem adjurare presumo, ut facta mea sic in evum perdurare permittant, sicut ipsi habent velle ut gesta eorum per tempora prolixa conserventur.

Actum anno quo supra.

Ego in Dei nomine Angilrannus, peccator episcopus, hanc epistolam cessionis a me factam relegi et subscripsi. Agnardus subscripsi. Ego Optarius, ac si indignus presbiter, subscripsi. Heboradus abbas subscripsi. Arthecarius archidiaconus subscripsi. Andreas subscripsi. Giso abbas subscripsi. Signum Hunniodo. Harimodus notarius subscripsi. Ego Wasco, infimus diaconus, jussus a domino et pontifico meo Angilranno, hanc epistolam cessionis scripsi et subscripsi.

14.

Gorze, 9 décembre 771.

Ratardus donne à l'abbaye de Gorze tout ce qu'il possède à Mandres.

Cartulaire, p. 25 et 26.

TESTAMENTUM QUOD FECIT RATARDUS DE REBUS SUIS.

Cum fragilitas humani generis pertimescit subitanee transpositionis diem, oportet ut non inveniat unumquemque inparatum, nisi dum jure suo et potestate reparat sibi viam salutis per quam ad eternam valeat pervenire beatitudinem. Audivimus enim vocem illam evangelistarum tonitrualem dicentem : « Date elemosinam, et ecce « omnia munda fiant vobis. » Et in alio loco ipse Salvator per elemosinam nos posse mundari demonstrat, dicens quia, sicut aqua extinguit ignem, ita elemosina extinguit peccatum. Idcirco, ego in Dei nomine Ratardus, filius Hadrardi quondam, dum hanc vocem audissem, cepi mestus cogitare quid pro mercede anime Haildis, quondam conjugis mee, facere deberem, vel quid ad loca sancto-

rum delegarem ut non inveniat eam ultrix flamma quam devoret, sed Dei pietas quam coronet. Propterea, dono, pro ipsa anima Hahilde jamdicta, ad sacrosanctam ecclesiam beatissimi Petri et sancti Pauli vel sancti Gorgonii martyris, ubi ipse sanctissimus martyr Gorgonius in corpore requiescit, vel ad monasterium Gorzie, ubi in Dei nomine Theomarus abbas vel cuncta congregatio preesse videntur, hoc est res nostras proprias in pago Scarponinse, in loco qui dicitur ad Mandris, tam mansis, domibus, edificiis superpositis, casis, casulis, curtilis, ortilis, pomiferis, campis, pratis, silvis, aquis aquarumve decursibus, cultis et incultis, omnia et ex omnibus cum omni integritate mancipiis, Alideum servum cum uxore sua Anglismane, cum infantibus eorum, cum peculiaribus eorum vel aliis hominibus ibidem commanentibus, litis, libertis vel inlibertis, acolabus, adjacentiis, appendiciis, pecuniis, peculiis, mobilibus et immobilibus, utriusque sexus, generis vel etatis, quantumcumque ego per libellum dotis de ipsa villa conjugis mee, que fuit Heyldis jamdicta, ei condonavi vel affirmavi, excepta una casa per libellum dotis conjugis mee Ermenane, quam postea accepi. Illa alia res tota et integra, sicut jam supra diximus, pro anima Heylde, ad prefatam ecclesiam, a presenti die proficiat in augmentis, vel quicquid pars ecclesie facere vel eligere voluerint, in omnibus habeant potestatem. Si quis vero, quod fieri non credo, si ego ipse, aut ullus de heredibus vel coheredibus meis, seu quelibet ulla opposita persona, contra hanc donationem sive traditionem quam ego spontanea voluntate fieri et affirmare rogavi, contraire conatus fuerit, aut si fortasse invendicare vel immutare voluerit, ammoneo ut caveat inprimis ut iram Dei omnipotentis non incurat, et insuper inferat ad partem fisci juribus auri libras v, argenti pondo x mulcta sustineat, et quod repetit non valeat invindicare, sed presens testamentum

firmum et inviolabile permaneat cum astipulatione subnixum.

Actum in monasterio Gorzie, anno ab incarnatione Domini DCCLXXI, indictione IX, epacta I, concurrente I, anno III regni domini nostri Carlomanni regis, V idus decenbris.

Signum Rathardi, qui hanc donationem sive testamentum fieri rogavit; Signum Ganberti; S. Waltarni; S. Warnacli; S. Blitharii; S. Hariberti; S. Judaici; S. Dadone; S. Hebrechardi; S. Sigomaldi; S. Ricaldi.

15.

Possesse, 771.

Flutarius donne à l'abbaye de Gorze divers biens aux environs de Possesse, dans l'Astenois.

Cartulaire, p. 27 et 28.

TESTAMENTUM QUOD FECIT FLUTARIUS DE REBUS SUIS.

Cum fragilitas humani generis pertimescit subitanee transpositionis diem, oportet ut non inveniat unumquemque imparatum, nisi dum jure suo et potestate preparat sibi viam salutis per quam ad eternam valeat pervenire beatitudinem. Audivimus enim vocem illam evangelistarum tonitrualem dicentem : « Date elemosinam, et ecce omnia munda fiant vobis; » et in alio loco ipse Salvator per elemosinam nos posse mundari demonstrat, dicens quia sicut aqua extinguit ignem, ita elemosina extinguit peccatum. Idcirco, ego in Dei nomine Flutarius quondam pro Dei intuitu, vel pro anime mee remedio, seu et pro eterna retributione, per hanc cartulam donationis sive testamentum donatum in perpetuum esse volo, et promtissima

voluntate confirmo ad sacrosanctam ecclesiam sanctissimi Petri, et sancti Pauli vel sancti Gorgonii martyris, constructam in loco qui dicitur Gorzia, ubi ipse sanctissimus Gorgonius martyr in corpore requiescit, vel ubi in Dei nomine Theomarus abbas, vel cuncta congregatio monachorum preesse videntur, hoc est res meas proprias in pago Staduninse, in vilare qui dicitur Montiniago, in fine Possesinse, super fluviolum Vigria, tam mansis, casis, domibus, edificiis superpositis, vel omnibus supra commanentibus, acolabus, litis, libertis, campis, pratis, silvis, et terris aratoriis, omnia et ex omnibus, aquis aquarumve decursibus, et farinarium unum, cum adjacentiis suis, de toto tres partes; similiter, ultra Vigra, que dicitur Gunciniaga curtem, tam mansis, casis, vel omnibus supra commanentibus, acolabus, libertis, campis, pratis, silvis, perviis, curtilis, ortilis, aquis aquarumve decursibus. Hec omnia supradicta, tam de paterno, materno vel de comparato, vel quecumque per aliquod adtractum ad me pervenerunt, et usque ad presentem diem visus sum tenere vel dominare, totum et ad integrum, a presenti die, pro anima mea condono, trado atque transfundo perpetualiter, in Dei nomine; hec omnia monachis supradictis proficiant in augmentis omni tempore. Si quis vero (quod fieri non credo), si ego ipse, aut ullus de heredibus vel coheredibus meis, seu quelibet ulla opposita persona, contra hanc donationem sive testamentum, quam ego spontanea voluntate fieri et affirmare rogavi, agere, ire conatus fuerit, si fortasse invindicare vel immutare voluerit, ammoneo ut caveat ne iram Dei omnipotentis incurrat, et insuper inferat eis auri libras v, argenti pondo x mulcta sustineat, et quod repetit non valeat evindicare, cum stipulatione subnixa.

Actum ad Possessa, in publice, anno quo supra.

16.

Gorze, 771.

Blitharius donne à l'abbaye de Gorze un manse à Maizeray, dans le Verdunois.

Cartulaire, p. 28 et 29.

TESTAMENTUM QUOD FECIT BLITARIUS DE MASIRICIO.

In nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti. Ego Blitharius, filius Walthacrii quondam, pro Dei intuitu, vel pro anime mee remedio, seu et pro eterna retributione, per hanc cartulam donationis seu testamenti condono ad partem sancti Petri, et sancti Pauli vel sancti Gorgonii martyris, ubi ipse sanctissimus Gorgonius martir in corpore requiescit, vel ad monasterium Gorzie, ubi in Dei nomine Teutmaurus abbas, vel omnis congregatio monacorum preesse videntur, hoc est res meas proprias in pago Virdunense, in villa Masiricio, hoc est illum mansum quem genitor meus Walcarius conjugi mee Ratsindane, per libellum dotis condonavit, et ipsa Ratsinda, conjunx mea, moriens michi dereliquit. Ipsum mansum integrum ad presentem diem terminat ab uno latere ex una fronte Waltario, ex alio latere Igberto, ex alia vero fronte via publica, sub longo ad pertecas undecim peilorum, in longo de uno latere pertecas XVIIII, ex alio latere X, et per treversum in uno capite pertecas XII, et in alio capite pertecas IX et dimidium; totum in integrum a presenti die condono, trado atque transfundo perpetualiter, in Dei nomine, ad possidendum, vel quicquid exinde pars ecclesie facere vel eligere voluerint, in omnibus habeant potestatem. Si quis vero (quod fieri non credo), si ego ipse aut ullus de heredibus vel coheredibus meis, seu quelibet alia opposita persona contra hanc donationem sive

testamentum, quam ego spontanea voluntate fieri et confirmare rogavi, agere, ire conatus fuerit, aut si fortasse invindicare vel immutare voluerit, ammoneo ut caveat ne iram Dei omnipotentis incurrat, et insuper inferat ad partem ecclesie auri libras II, argenti pondo III mulcta sustineat, et quod repetit quicquam non valeat evindicare, cum stipulatione subnixa.

Actum in monasterio Gorzie, anno quo supra.

Signum Blitarii, qui hoc testamentum fieri et confirmari rogavit; Signum Ratsindane, conjugis sue; S. Watharii, genitoris sui consentientis; S. Alpacrii, germani sui; S. Berengarii, germani sui.

Ego Adalharius, ac si indignus monachus, rogatus, hoc testamentum scripsi.

17.

772-774.

Charlemagne confirme la fondation de l'abbaye de Gorze et les donations qui lui ont été faites par Chrodegang, du consentement du roi Pépin.

Cartulaire, p. 29 et 30. — Publ. par Meurisse, *Hist. des évêques de Metz*, p. 183, dans *Gallia christiana*, XIII, Instr. col. 377, dans les *Historiens de France*, V, 714, et par D. Calmet, *Hist. de Lorraine*, II, col. CVII et CVIII. Cf. Th. Sickel, *Acta regum et imperatorum Karolinorum digesta et enarrata*, t. II, p. 22 et 234, et Boehmer-Muehlbacher, *Regesten des Kaiserreichs*, etc., I, 62.

Confirmatio Karoli regis de omnibus possessionibus nostris.

Karolus, gratia Dei rex Francorum, vir illustris, omnibus episcopis, abbatibus, comitibus, etiam missis atque universis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris. Si peticiones sacerdotum ac servorum Dei, in quo nostris auribus suggesserint, ad effectum perducimus, regiam

mansuetudinem exercemus, atque pro salute anime ac stabilitate regni nostri [ut] Domini misericordiam exorent, eorum animos exhortamus. Igitur sollertia vestra noverit venerabilem virum Theomarum abbatem ad nostram advenisse presentiam, qui detulit nobis privilegium sancte recordationis Chrodegangi, archiepiscopi Mettensium urbis, quod circa monasterium Gorzie, ibi usque in finem seculi habitantibus conscripserat, ubi tenebatur insertum qualiter per commeatum et voluntatem domini et genitoris nostri Pippini, quondam regis, etiam et consensu suorum sacerdotum et clericorum, supradictum monasterium in honore apostolorum Petri et Pauli constat edificatum, ubi et postea sanctissimi corpus Gorgonii Roma deportatum recondidit, ea scilicet conditione, ut in ipso monasterio monachi secundum ordinem et regulam sancti patris Benedicti perhennibus temporibus viverent, atque pro se et pro aliis Domini misericordiam indesinenter exorare studerent. Tamen, ad confirmandum hujus boni operis certamen, cognovimus diversas res ad eumdem sanctum locum prefatum episcopum delegasse, atque ita confirmasse, ut deinceps nec ab ipso episcopo, suis siquidem successoribus aut archidiaconis, seu ceteris ecclesie ordinatoribus aliquo tempore fuisset irruptum. Unde asserit prefatus Teomarus abbas, suique monachi, hoc privilegium conservatum, et hec omnia quieto ordine se possidere; sed pro firmitatis studio petiit celsitudinem nostram ut circa prefatum monasterium ejusque rectores nostram denique confirmationem, pro mercedis augmento, conscribere atque confirmare deberemus; cujus peticionem denegare nequivimus, sed libenti animo hanc prestitisse vel confirmasse cognoscite. Precipientes enim jubemus ut inspectum jamdictum privilegium, sicut per eumdem declaratur, sicut ab ipso episcopo per commeatum et voluntatem domini genitoris nostri seu sacerdotum ac clericorum factum est, quod sanctissimi episcopi in publica firmaverunt

synodo, ita cum Dei et nostra gratia sit in omnibus conservatum, et neque a pontificibus Mettensium, aut reliquis ejusdem ecclesie rectoribus, ea que in hoc privilegium continentur confracta ne quoquomodo aliquando irruptum sit, sed sicut prefatus pontifex pro laude et servitio omnipotentis Dei prefatum sanctum locum adordinavit, pro communi scilicet sua regumque atque Francorum mercede, in nostris et futuris temporibus perduretur, quatinus melius delectet ejusdem ecclesie rectores, cum ipsa sancta turba monachorum pro salute patrie vel stabilitate regni nostri Domini misericordiam deprecari.

Signum Karoli gloriosissimi regis.

18.

Saint-Gorgon, 29 septembre 769.

Blitcharius donne à l'abbaye de Gorze des manses et des bois à Brauville et ailleurs, dans le comté de Verdun.

Cartulaire, p. 31 et 32.

TESTAMENTUM BLICHARII DE BERULFI VILLA ET ALIIS LOCIS.

Oportet christianum viam veritatis eligere, per quam conditori suo possit digne miserationis munus offerre, ut oblatio pertineat ad salutem, et devotio perveniat ad mercedem. Ego igitur in Dei nomine Blitcharius, dum et omnibus non habetur incognitum qualiter ego, propter nomen Domini, aliquid de rebus meis in pago Wabrinse, in comitatu Virdunensi, in loco nuncupato qui dicitur in Berulfivilla, super fluviolum Senoda, hoc est ibi dono mansum unum. Ipse mansus habet perticas in longitudine XL, in uno fronte IIII, in alio fronte III et dimidiam. Et dono in alio loco qui dicitur in Eponega villa alium mansum cum casa dimidia; habet perticas in longitu-

dine XVII, in latitudine III, et ipsa pertica habet pedes XII. Et dono in ipsa fine Aponega de prato ad fenum colligendum carradas III, et de terra arabili ancingas III, et silvam quam michi Ratbertus condonavit in ipsa fine Aponega, et in fine Trubercega, et in fine Maurilinega, et in fine Angeliana, et in fine Scalcunega, et in fine Walcinnega, et terram que silvam continet. Ipsos mansos et prata, campos et silvas, totum ad integrum per meum testamentum ad monasterium sancti Petri, vel sancti Pauli seu sancti Gorgonii, quod est constructum super fluvium Gorzie, hoc dono, trado atque transfundo propter germanum meum Rabertum, et propter victum et vestimentum, ita ut ab hac die ipsa prefata ecclesia, vel agentes ipsius, hec habeant, teneant atque possideant, vel quicquid in augmentum ipsius ecclesie facere voluerint, liberam et firmissimam in omnibus in Dei nomine habeant potestatem faciendi. Si quis vero (quod futurum esse non credo), si ego ipse, aut ullus alius de heredibus meis, aut quelibet ulla opposita persona contra hoc testamentum venire temptaverit, aut irrumpere voluerit, ei non liceat evindicare quod repetit, sed inferat una cum sacrato fisco ecclesie auri libram I, argenti pondua II mulcta sustineat; et hoc testamentum omni tempore firmum et stabile permaneat cum stipulatione subnixum.

Actum ad Sanctum Gorgonium super fluvium Senoda, anno ab incarnatione Domini DCCLXVIIII, indictione VII, epacta VIIII, concurrente VI, III kalendas octobris, anno primo regnante domino Karolo rege.

Signum Blitcharii qui hoc testamentum fieri et firmare rogavit; Signum Waini; S. Volmodi; S. Volfridi; S. Warneri; Signum Arberti; Signum Ratberti; S. Corido; S. Mancii; S. Amalgeri; S. Fredalt; S. Erchemberti; S. Angini; Signum Giralt; S. Ernalrt; S. Adam.

Ego Gotbertus, presbiter cancellarius, scripsi.

19.

Quincy, 770.

Le comte Boson donne à l'abbaye de Gorze la villa de Quincy avec toutes ses dépendances.

Cartulaire, p. 32 et 33. — Publié dans les Preuves de l'*Histoire de Metz* des Bénédictins, III, 14.

De Quintiaco villa.

In nomine Domini, et Salvatoris nostri Jhesu Christi, Boso, misericordia omnipotentis Dei comes. Notum sit igitur omnibus fidelibus sancte Dei ecclesie, quod ego dedi ad sanctum Gorgonium villam unam nomine Quinciaco, in finem Wavrense, super fluvium Azenna, propter precariam de Warengisi villa et Wasatico. Sunt quedam ad istam prefatam aspicientia villa[m] Quinciaco : mansus unus indominicatus, cum omnibus edificiis, pratis, silvis, aquis aquarumve decursibus, et ecclesiam unam que est in honore sancti Martini, que in unoquoque anno solvit solidos x; et de vineis indominicatis ad vinum colligendum modios xl; aliam terram indominicatam ad unam sationem seminandi modios ccl; ad aliam vero similiter cambas duas que solvunt de annona modios cc; farinarios duos; unus solvit modios xlii de farina et decem de brasio, alius vero modios xx de farina et decem de brasio; ad unumquemque farinarium porcum unum insaginatum. In tercio loco est farinarius unus, qui duas partes reddit seniori et unam secum retinet, de silva ubi possunt saginari porci cccc cccc (*sic*). Mansi ingenuiles sunt xxxiii; unusquisque in maio mense solvit denarios x de victuris. Similiter et unaqueque mulier solvit ad missam sancti Martini denarios iii, et de unoquoque manso de linofu-

seis xxx. Et unusquisque mansus de lignis solvit carratas IIII, et ad Natale Domini unusquisque mansus solvit porcum unum, et pullos III, et ova XV, et unusquisque mansus ad clausuram faciendam perticatas X, et in maio mense unusquisque mansus solvit scindulas C. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si fuerit in postmodum, ego ipse aut ullus de meis heredibus, contra hanc cartulam aliquid dicere voluerit, aut eam infringere vel emittare presumpserit, inferat de auro libras CCCC, de argento pondua mille, et quod repetit evendicare non valeat cum stipulatione subnixa.

Signum Bosonis comitis, qui hanc cartulam fieri jussit et firmavit; Signum Eilberti comitis; S. Hisewardi comitis; S. Bonibrant; S. Rodboldi; S. Girolfi; S. Dodonis; S. Dudonis; S. Heriberti; S. Berheri; S. Lantberti; S. Tietdri; S. Hevorini; S. Hugonis; S. Baltranni; S. Baldigeii.

Actum Quinciaco villa publica, in atrio Sancti Martini, anno ab incarnatione Domini DCCLXX, indictione VIII, epacta XX, concurrente VIII, anno III regni Karoli regis.

Rainardus cancellarius scripsit et subscripsit, in Dei nomine feliciter. Amen.

20.

Varangéville, 5 mai 773.

Nodoinus donne à l'abbaye de Gorze une terre dans le Vermois.

Cartulaire, p. 33 et 34.

DONATIO QUAM FECIT NODOINUS IN PAGO VERMINSE.

In Dei nomine. Ego Nodoinus, pro divino intuitu, vel pro eterna retributione, ut veniam in futurum consequi merear, per hanc cartulam donationis sive testamentum dono a presenti die ad ecclesiam sancti Petri vel sancti

Gorgonii martyris, que est constructa in pago Scarponinse, in loco qui dicitur Gorzia, ubi Teomarus abbas preesse videtur, donatumque in perpetuum esse volo, et promptissima voluntate confirmo, hoc est plus minus de terra aratoria ancingam unam in fine Vermensi, que subjungit de uno latere ratio fiscalis quam Olimeriaridus tenet, de alio latere tenet Hairicus, de uno fronte Ercumbaldus, de alio tenet Durastus; infra istam determinationem superius nominatam, a die presenti vobis tradidi perpetualiter ad possidendum, ita ut ab hac die habeatis jus habendi, donandi, commutandi, vel quicquid exinde elegeritis faciendi liberam in omnibus habeatis potestatem. Si quis vero (quod futurum esse non credo), si ego ipse, aut aliquis de meis heredibus, vel quelibet ulla opposita persona contra hanc donationem a me factam venire, vel eam infringere, vel emutare voluerit, in primis iram Dei omnipotentis incurrat, et insuper inferat contra ipsam ecclesiam auri dimidiam libram, argenti pond[o] II mulcta sustineat, et quod repetit non valeat evindicare, sed presens donatio ista omni tempore firma permaneat stipulatione subnixa.

Actum in Warangisi villa, publice, anno ab incarnatione Domini D CC LXXIII indictione XI, epacta XXIII, concurrente IIII, anno V regni Karoli regis, III nonas maii.

Signum Nodoini, qui hanc donationem fieri et affirmare rogavit; S. Bernaridi, filii ipsius, consentientis; S. Mannardi. Ego Rannarus, presbiter, subscripsi. S. Hastadi; S. Avanoni; S. Leuthardi. Ego Brinssingus subscripsi.

Ego Wignarius, notarius, hanc donationem rogatus scripsi et subscripsi.

21.

Gorze, 6 mai 775.

Rabertus donne à l'abbaye de Gorze la vigne qu'il possède à Rosselange.

Cartulaire, p. 34 et 35.

Ad Rotcheringas, super fluvium qui dicitur Orna.

In nomine Domini. Ego Rabertus, filius Floberti, tam pro Dei intuitu quam pro anime mee remedio, seu et pro eterna retributione, per hanc cartulam donationis sive testamentum dono ad sacrosanctam ecclesiam sancti Petri et Pauli vel sancti Gorgonii martyris, ubi ipse domnus Gorgonius martyr in corpore requiescit, vel ad monasterium quod vocatur Gorzia, ubi in Dei nomine Theomarus abbas, vel cuncta congregatio monachorum qui ibidem consistere videntur, hoc est dono vineam meam in pago Muslinse, ad Rocheringas, super fluvium Horne, que est juxta vineam Sancti Albini; ipsam vineam meam cum integritate ad ipsum monasterium condono, trado atque transfundo, in Dei nomine ad possidendum. Si quis vero (quod fieri non credo), si ego ipse aut aliquis de heredibus vel proheredibus meis, aut alia opposita persona, hoc testimonium irrumpere vel immutare voluerit, caveat ut iram Dei non incurrat, et insuper inferat ad partes fisci juribus auri libram I, argenti pond[o] II mulcta sustineat et quod repetit evendicare non valeat cum stipulatione subnixa.

Actum in monasterio Gorzie, anno ab incarnatione Domini DCCLXXV, indictione XIII, concurrente VI, epacta XV, anno VII Karoli regis, pridie nonas maii.

Signum Raberti, filii Flutberti, qui hoc testamentum fieri et firmare rogavit; Signum Haytberti, germani sui,

consentientis; S. Wathardi; S. Hayrimodi; S. Blithardi; S. Huguboldi; S. Bertchaudi; S. Rainaudi; S. Hatheni; S. Judavii; S. Haialdi.

22.

775.

Ratbertus déclare recevoir de l'abbaye de Gorze, à titre de bénéfice, la vigne qu'il lui a donnée à Rosselange, ainsi que l'église de ce lieu, qui avait été donnée à l'abbaye par la mère dudit Ratbertus.

Cartulaire, p. 35 et 36.

Ratberti precaria.

Domino sancto et in Christo venerabili Teomaro abbati, una cum illis fratribus qui in Gorzie monasterio consistere videntur, Ratbertus peccator. Cognoscatis, dum et omnibus non est incognitum, qualiter ego dono vineam meam in pago Muslinse, ad Rocherincas, super fluvium Horne, que jacet juxta vineam Sancti Albini, ipsam vineam cum integritate, ad partem sancti Petri vel sancti Pauli seu sancti Gorgonii, vel ad monasterium Gorzie, vel vobis, condonavi vel adfirmavi. Postea mea fuit peticio, et vestra fuit voluntas, ut ipsam vineam, et alias res vestras quas genitrix mea, Godosinda, ad partem sancti Petri vel sancti Gorgonii condonavit in ipso pago Muslinse, ad Rocheringas, id est ecclesiam in honore sancti Albini et sancti Martini et sancte Marie, vel quicquid ad ipsam ecclesiam aspicit, similiter et illas alias res quas Arigarius condonavit, michi beneficiare deberetis; quod ita et fecistis; et exinde nullum pontificium habeo aliquid minuendi, nisi quicquid ibidem addere aut immeliorare vel adtrahere potuero. Post meum quoque discessum, quando quidem Deus voluerit, ipsa(m) vinea(m) vel ipsa(m) ecclesia(m) cum ipsis rebus immelioratis, absque ullius contradictione vel judicis assignatione, ad ipsum monasterium jamdictum

Gorzie omnimodis revertantur. Et censum annis singulis ad festum sancti Gorgonii, quod est v idus septembris, libram unam de cera dare et adimplere facio; et si de ipso censu tardus apparuero ad reddendum, cum legis beneficium est, fidem exinde facio et ipsas res valeo excolere et usare.

Acta precaria anno quo supra.

Signum Ratberti, qui hanc precariam fieri et firmare rogavit; Signum Atberti, germani sui, consentientis; Signum Wathardi; S. Hairimodi; S. Blithardi; S. Huguliołdi; S. Berthicaudi; S. Ragenvei; S. Hathonis; S. Judavii; Aiulfi.

Ego Gricultius, monacus, hoc testamentum sive precariam scripsi et subscripsi.

23.

775.

Nitherius et Subelicius vendent à l'abbaye de Gorze un pré à Hannonville.

Cartulaire, p. 36 et 37.

VENDICIO QUAM FECERUNT NITHERIUS, FILIUS SISPACII, ET SUBELICIUS, FILIUS GEBORINI.

Domino sancto et in Christo venerabili patri Theomaro, una cum illis fratribus qui in Gorzie monasterio consistere videntur, pariter emptoribus, Nitdterius, filius Sispacii, et Subelicius, filius Geborini, pariter venditores. Constat nos vobis vendidisse, et ita vendidimus, prata juris nostri in pago...[1], in Hununega fine, vel in ipsa villa que vocatur Hunone villa. Et ipsum pratum habet determinationem de uno latere perticas sex, et de alio latere perticas sex, et e contra medium perticas septem. Ipsum pratum habet perticas legitimas, pertiga ad pedes XII, ad

1. En blanc dans le cartulaire.

brachium mensuratum xxxix. De uno latere Sevirus tenet; de alio latere Dodo tenet. De ambabus frontibus silva ipsum pratum determinat in integrum. Pro cujus precio accepimus a vobis, sicut inter nos bene complacuit atque convenit, in solidos probos atque pensantes, numero...[1] tantum, ita ut ab hac die habeatis jus habendi, tenendi, donandi, vendendi, commutandi, vel quicquid exinde facere vel agere volueritis in omnibus habeatis potestatem faciendi. Si quis vero (quod fieri non credo), si nos ipsi, aut ullus de heredibus vel proheredibus nostris, aut ulla injuncta persona, contra hanc venditionem venire temptaverit, aut eam irrumpere vel immutare voluerit, tantum, et aliud tantum quantum pratum illud eo tempore melioratum valuerit, spondemus nos aut heredes nostri vobis reddituros, et quod repetit evendicare non valeat cum stipulatione subnixa.

Actum anno quo supra.

Signum Nitheri, filii Sispacii, et signum Supplicii, filii Neborini, qui hanc vendicionem fieri rogavit; S. Romegii; S. Hairardi; S. Judavii; S. Cadaberi; S. Hadoneri.

Ego Graulicius, ac si indignus monachus, hanc venditionem rogatus scripsi et subscripsi.

24.

20 juin 776.

Leutbrandus donne à l'abbaye de Gorze tout ce qu'il possède à Xammes.

Cartulaire, p. 37. — Publ. dans le *Bulletin de la Société d'archéologie lorraine,* III, 263.

DONATIO LUTTRANDI DE SCAMNIS.

Ego in Christi nomine Leutbrandus, filius Rimbrandi,

1. En blanc dans le cartulaire.

tam pro Dei timoris intuitu quam pro anime mee remedio, seu et pro eterna retributione, per hanc cartulam donationis sive testamenti dono ad sacrosanctam ecclesiam sancti Petri et Pauli, vel sancti Gorgonii martyris, ubi ipse domnus martyr Gorgonius in corpore requiescit, vel ad monasterium quod vocatur Gorzia, ubi in Dei nomine Theomarus abbas, vel cuncta congregatio monachorum que ibidem consistere videtur, dono, donatumque in perpetuum esse volo, et promptissima voluntate confirmo, hoc est rem meam in pago Scarponinse, in fine Scaninse, vel in ipsa villa Scannis, hoc est mansos, campos, prata, silvas, et terras aratorias, et vineas, omnia et ex omnibus, quicquid de genitore meo Rimbrando michi advenit, totum et ad integrum, a presenti die condono, trado atque transfundo in Dei nomine ad possidendum, eorum agentibus vel monachis omni tempore proficiat in augmentum sui.

Actum anno ab incarnatione Domini DCCLXXVI, indictione XIII, epacta XV, concurrente VI, anno octavo regni domini nostri Karoli regis, XII kalendas julii.

25.

Quierzy, 22 janvier 776.

Charlemagne confirme tous les privilèges accordés par ses prédécesseurs à l'église de Metz et à ses filiales.

Cartulaire, p. 37-39. — Publ. dans les Preuves de l'*Histoire de Metz* des Bénédictins, III, 15; dans *Gallia christiana*, XIII, Instr., col. 378; dans le Recueil des *Historiens de France*, V, 727, etc. Indiqué par Bréquigny, *Table chronologique*, etc., ad ann. 775, et par Bœhmer-Muehlbacher, *Regesten des Kaiserreichs*, etc., I, 71. Cf. Sickel, *Acta regum et imperatorum Karolinorum*, II, 26.

PRECEPTUM KAROLI REGIS DE NOSTRIS NECESSITATIBUS.

Carolus, Dei gratia rex Francorum et Langobardorum,

vir illustris, ducibus, comitibus, domesticis, vel omnibus agentibus, tam ultra quam citra Renum, Rodanum et Ligerim consistentibus, tam presentibus quam et futuris. Juvante Domino, qui nos in solium regni instituit, illud ad augmentum vel stabilitatem regni nostri procul dubio credimus in Dei nomine pertinere, si peticiones sacerdotum vel ecclesiarum Dei, de rectis postulationibus quas in nostris auribus patefecerunt, perducimus ad effectum. Ideoque vir apostolicus domnus et pater noster Angilrannus episcopus, sancte ecclesie Metensis pontifex, preceptiones regum precessorum, antecessorum nostrorum, eorum manibus roboratas nobis protulit recensendas, ubi generaliter cognovimus esse insertum quod antecessoribus suis tale fuisset jam a longo tempore indultum beneficium, ut nullus ex judicibus publicus, in curtes ipsius ecclesie Metensis, et domni Stephani, peculiaris patroni nostri, seu basilicas infra ipsam urbem construstas (*sic*), vel infra ipsam parrochiam, tam monasteria, vicos vel castella ad eandem aspicientia, ingredi non presumerent, aut aliquod ibidem generare detrimentum, nec homines eorum, per mallos byrgos publicos, nec per audientias nullus deberet admallare, aut per aliqua iniqua ingenia presumeret condempnare, neque freta vel teloneos exactare, aut aliquos paratos facere, sed in eorum privatas audientias agentes, ipsius ecclesie unicuique, de reputatis conditionibus, directum facerent, et ab aliis simulque perciperent veritatem; et ubi feodum ipsi agentes aut reliqui homines memorate ecclesie acciperent freta, ad ipsa loca sanctorum deberent, Christo presule, proficere in augmentum; pari modo, et si homines eorum pro quolibet excessu cujuscumque feodum dissolvebant, fretus qui exinde in publicum sperare potuerit, ad ipsas ecclesias fuisset concessus. Unde petiit suprascriptus pontifex ut eum, suamque ecclesiam, vel monasteria, castella vel vicos ad eandem pertinentes vel aspicientes, de hac re deberet plenius

nostra auctoritas, in Dei nomine, confirmare. Cujus postulationem, pro divino intuitu, vel reverentia ipsorum locorum sanctorum, seu fidei sue respectu, vel mercedis nostre augmento, gratanti animo prestitisse, et in omnibus confirmasse et a novo concessisse cognoscite. Jubemus namque ut quicquid constat tam in villis, domibus, edificiis, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, acolabus utriusque generis, sexus vel etatis, cum integris terminis solidoque statu earum, tam ex munificentia regum, reginarum, quam id quod per venditiones, donationes, commutationes, cessionesque titulis, vel per quelibet instrumenta cartarum, aut qualelibet ingenium legibus ad ipsam ecclesiam domni Stephani, vel alias ecclesias que sub ipsa urbe Metensi, vel in parrochias ipsius pontificis, constructe esse videntur, fuit delegatum et ad presens pars ipsarum ecclesiarum cernitur possidere vel dominari, per hanc auctoritatem nostram, in idipsis ecclesiis, vel memorato pontifici, vel abbatibus suis, eorumque successoribus, plenius in Dei nomine confirmatum atque concessum esse cognoscite. Precipientes enim jubemus ut neque vos, neque juniores seu successores vestri, in curtes ipsius ecclesie, vel memorati pontificis, aut abbatum suorum, vel monasteriorum, castellorum, vicorum, tam ultra quam citra Renum, Rodanum et Ligerim, vel ad prefatam civitatem Mettensem, aut in pagos vel parrochias suas, et monasteria seu cellas, vel omnibus ecclesiis ad eandem pertinentibus vel aspicientibus, nulla freta, nec teloneos, vel conjectos, aut summutas, vel aliquos paratos faciendum, vel qualecumque ingenium ad aliquod detrimentum generare penitus ingredi non deberetis, si gratiam meam vobis in omnibus optatis habere propiciam. Illud addi placuit scribendum, ut de tribus causis de hoste publico, hoc est de banno nostro, quando publiciter promovetur, et wacta vel pontos componendum, illi homines bene ingenui, qui de suo capite

bene ingenui immunes esse videntur, qui super terras ipsius ecclesie vel ipsius pontificis aut abbatibus suis cummanere noscuntur, si in aliquo exinde de istis tribus causis negligentes apparuerint, exinde cum judicibus nostris deducant rationes, sed non amplius vel minus. In reliquo vero, pro mercedis nostre augmento, sub emunitate ipsi sint conservati, ut ad ipsam casam proficiant in augmentis. Et ipsa emunitas que a nobis vel ab antecessoribus patribus nostris fuit concessa circa memoratam ecclesiam domni Stephani, vel prefata monasteria, vel castella, vicos, pagos, parrochias vel abbatias que ad ipsum pontificem aspicere videntur, perhenniter maneat inconvulsa vel conservata, qualiter ipsum pontificem, seu clerum vel pauperes ibidem alimoniam sperantes plenius delectet Domini misericordiam attentius exorare, et dummodo per anteriores preceptiones a longo tempore ipsa emunitas circa ipsam ecclesiam, vel basilicas, seu monasteria, vicos vel parrochias, sub tempore precedentium regum semper fuit conservata, et nos ad presens, pro anime nostre remedio, vel retributione eterna, in idipsa ecclesia domni Stephani, ubi suus sacratissimus sanguis vivus esse videtur, per nostram preceptionem firmavimus atque concessimus ut quicumque hoc de judicibus nostris, aut quislibet, refragare, aut irrumpere, vel immutare voluerit iram trine majestatis, vel omnium sanctorum, ubi ipse pontifex vel abbates sui deserviunt, incurrat et gratiam nostram nullo umquam tempore possit habere, sed magis a vobis vel successoribus vestris, sub integra emunitate, omni tempore, modis omnibus conservetur, qualiter gratiam nostram, ut diximus, valeatis habere propiciam. Quam vero auctoritatem, pro rei totius firmitate, ut omni tempore maneat inconvulsa, manus nostre signaculis infra decrevimus in Dei nomine roborare.

Signum Karoli gloriosissimi regis. (*Monogramme.*)

Data XI kalendas februarii, anno septimo et primo regni nostri.

Actum Carisiaco, anno ab incarnatione Domini quo supra.

26.

Igmaro curte, 11 août 786.

Heremberga et Rancherus, son mari, donnent à l'abbaye de Gorze tous les biens qu'ils tiennent de leur fils Gerricus, à *Igmaro curte* et Régniéville (?).

Cartulaire, p. 40 et 41.

Testamentum quod fecerunt Herenberga et Rancherus pro anima filii sui Gerrau in pago Scarponinse in Igmari curte et in Racnulfi villa.

In nomine Domini. Ego Heremberga, filia Herleboldi, et Rancherus, filius Blitheri, tam pro Dei intuitu quam pro anime Gerrici remedio, seu et pro eterna retributione, per hanc cartulam donationis sive testamenti donamus ad sacrosanctum monasterium beatorum apostolorum Petri et Pauli vel sancti Gorgonii martyris, ubi ipse inclitus ac preclarus martyr Gorgonius corpore requiescit, aut ubi in Dei nomine Obtarius abbas vel cuncta congregatio monachorum qui ibidem consistere videntur, vel ad monasterium quod vocatur Gorzia, quod domnus et apostolicus Chrodegangus archiepiscopus a novo fundamento edificavit; donamus igitur res Gerrici, Rancherus et genitrix sua Heremberga, quas adhuc vivens nobis manu potestiva tradidit, ut pro anima sua dedissemus; hoc est in pago Scarponinsse, in Igmerega fine, vel in ipsa villa que vocatur Igmaro curte, et in alio loco in ipso pago, in Ragnulfiaga fine, vel in ipsa villa Ragnulfi villa, id est tam mansis, casis, campis, pratis, silvis, vineis, excepto quod ipse Gerricus Burgoradane, germane sue, antea condonavit, de manso quem a Constantino comparavit, qui habet perticas per longum XI et pedes V, et per transversum perticas III

et pedes VII, pertica per XII pedes, illam aliam rem de mansis, casis, campis, pratis, silvis, vineis, quicquid sua portio fuit, tam de proprio quam de comparato, aut de qualicumque attractu ad eum pervenit et nobis traditum fuit, omnia et ex omnibus, totum in integrum condonamus, tradimus atque transfundimus pro anima sua perpetualiter in Dei nomine ad possidendum, habendi, tenendi, dominandi, vel quicquid pro oportunitate ipsius monasterii elegeritis faciendi in omnibus habeatis potestatem a presenti die. Si quis vero (quod fieri non credimus), si nos ipsi, quod absit! aut aliquis de heredibus vel proheredibus nostris, aut ulla opposita persona, contra hanc donationem irrumpere vel inmutare voluerit, inferat sacratissimo fisco juribus auri libram I, argenti pond[era] duo mulcta sustineat, et quod repetit evendicare non valeat cum stipulatione subnixa.

Actum ad Igmaro curtem, anno ab incarnatione Domini DCC LXXXVI, indictione IX, epacta XVII, concurrente VI, III idus augusti.

Signum Rancheri, et signum Herembergane, qui hanc donationem, pro anima Gerrici, filii sui, fieri rogaverunt; Signum Addracii, germani sui consentientis; Signum Burgoradane, germane sue consentientis; S. Hailiboldi, avunculi sui consentientis; S. Bertaudi; S. Deodonati; S. Deodati; S. Helinberti; S. alii Adracii; S. Ratranni; S. Gelboldi; S. Albradi; S. Wigardi.

Ego Fraulfus, ac si indignus monachus, hanc donationem rogatus scripsi, anno XVIII regni Karoli regis.

27.

11 juin 788.

Charlemagne approuve un échange, fait entre les évêques de Metz et de Toul, de biens dans le pays de Voncq appartenant

à l'église de Toul, contre des biens dans le Saintois appartenant à l'église de Metz et à l'abbaye de Gorze.

Cartulaire, p. 41 et 42. — Publié dans les Preuves de l'*Histoire de Metz* des Bénédictins, III, 17, et dans *Gallia christiana*, XIII, Instr., col. 446. Cf. Sickel, *Acta regum et imperatorum Karolinorum*, II, 50, et Boehmer-Muehlbacher, *Regesten des Kaiserreichs*, etc., I, 108.

De pago Vungense.

Karolus, gratia Dei rex Francorum et Langobardorum, ac patricius Romanorum, omnibus fidelibus nostris presentibus et futuris. Si hoc quod rectores ecclesie, pro oportunitate venerabilium locorum, inter se commutant nostris oraculis confirmamus, regiam consuetudinem exercemus, et id in postmodum jure firmissimo mansurum esse credimus. Igitur notum sit omnium vestrum magnitudini, qualiter venerabiles viri Angilrannus, Mettensis ecclesie archiepiscopus atque capellanus palacii nostri, necnon et Borno, Tullensis ecclesie episcopus, in nostram accesserint presentiam, asserentes se, pro oportunitate ambarum partium ecclesiarum, res aliquas inter se comcamasse, unde et ipsas commutationes, bonorum hominum manibus roboratas, in presenti ostenderunt relegendas. Ubi et cognovimus qualiter dedit Borno, Tullensis ecclesie episcopus, ad partem sancti Stephani vel sancti Petri monasterii Gorziensis, res aliquas de ratione ipsius ecclesie Tullensis, sancti Stephani vel sancti Apri, in pago Vongensi, in loco qui vocatur Stilonio, quicquid pars ipsius ecclesie in predicto loco visa est possedisse vel tenuisse, cum omni integritate vel soliditate sua. Similiter e contra in compensu dedit jam fatus Angilrannus, Mettensis ecclesie archiepiscopus, res aliquas de ratione ecclesie Sancti Stephani Mettensis, vel sancti Petri monasterii Gorziensis, in pago Suggentensi, in loco qui vocatur Siavolo mansus, quas Alpaidis quondam femina ad partem ipsius monasterii sancti

Petri tradidit vel delegavit, cum omni integritate vel soliditate earum, quicquid pars ipsius monasterii in jam fato loco visa est possedisse. Sed pro integra firmitate jam dicti viri petierunt celsitudinem nostram ut hoc per nostram auctoritatem confirmare deberemus; quorum nos peticionibus gratanti animo ita prestit[i]sse vel confirmasse cognoscite. Precipientes ergo jubemus, ut quicquid pars alteri contulit parti, aut e contra in compensu recepit, ab hac die, per hanc nostram confirmationem, habeant potestatem habendi, tenendi, dandi, commutandi, vel quicquid exinde unusquisque quod a pari suo accepit ad profectum earumdem ecclesiarum exercere voluerit, liberam ac firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi, et neque a predictis venerabilibus viris, neque ab eorum successoribus, ullo unquam tempore, ipse commutationes violentur. Unde et duas confirmationes uno tempore conscriptas fieri jussimus, quos et manu propria firmavimus, et de anulo nostro sigillari jussimus.

Signum Karoli gloriosissimi regis. (*Monogramme.*)

Data III idus junii, anno ab incarnatione Domini DCC LXXXVIII, indictione XI, epacta IX, concurrente II, anno vero Karoli regis XX.

28.

Conflans, 788.

Ragembertus et Hadalrada, sa femme, donnent à l'abbaye de Gorze tout ce qu'ils possèdent à Labry.

Cartulaire, p. 42 et 43.

De villa Labriacensi.

In nomine Domini. Ego Ragembertus, filius Hercumberti, et conjunx mea Hadalrada quondam, pro Dei timo-

ris intuitu, vel pro anime mee remedio, seu et pro eterna retributione, per hanc cartulam donationis sive testamentum donamus ad sacrosanctum monasterium beatorum apostolorum Petri et Pauli, vel sancti Gorgonii martyris, ubi inclitus martyr Gorgonius in corpore requiescit, vel ad monasterium quod vocatur Gorzia, ubi in Dei nomine Optarius abbas vel cuncta congregatio monacorum preesse videtur; donamus igitur rem nostram in pago Mettensi, in fine Lagbriacensi, vel in ipsa villa Labrigia, hoc est mansos, casas, campos, prata, silvas, vineas, pomifera, aquas aquarumve decursus, quicquid de paterno, materno, vel de aviatico, seu de comparato, aut de qualicumque adtractu ad nos legibus pervenit, omnia et ex omnibus, totum integrum ad ipsum monasterium condonamus, tradimus atque transfundimus perpetualiter in Dei nomen ad possidendum. Si quis vero (quod futurum minime credo), si ego ipse aut aliquis de heredibus nostris, seu quelibet oposita persona hanc donationem irrumpere vel immutare voluerit, iram Dei omnipotentis incurrat, et insuper inferat ad partem fisci juribus auri libram I, argenti pondera duo mulcta sustineat, et quod repetit evendicare non valeat cum stipulatione subnixa.

Actum ad Confluentes, anno ab incarnatione Domini DCC LXXXVIII, indictione XI, epacta IX, concurrente II, anno vero regni Karoli regis XVIII.

S. Ragemberti, et S. conjugis sue Adradane, qui hoc testamentum fieri et firmare rogaverunt; S. Rigboldi; Signum Barsti; S. Ragevei; S. Beroldi; S. Barnardi; S. Walfridi.

Ego Fraulfus, ac si indignus monachus, hoc testamentum rogatus scripsi.

29.

Arstua, 28 février 790.

Dodo fait à l'abbaye de Gorze donation de tout ce qu'il possède à Maffrécourt, dans l'Astenois.

Cartulaire, p. 43 et 44.

TESTAMENTUM QUOD FECIT DODO GORZIE DE REBUS SUIS IN PAGO STADUNINSE AD TUVO.

Ego itaque in Dei nomine Dodo, pro Dei timoris intuitu, vel pro anime mee remedio, seu et pro eterna retributione, per hanc cartulam donationis sive testamenti dono ad sacrosanctum monasterium beatorum apostolorum Petri et Pauli, vel sancti Gorgonii martyris, ubi ipse inclitus martyr Gorgonius in corpore requiescit, vel ad monasterium quod vocatur Gorzia, ubi in Dei nomen Optarius abbas vel turba plurima monachorum preesse videtur, quod subjacet ecclesie Sancti Stephani Mettensi, ubi domnus et pater noster Angilrannus, gratia Dei archiepiscopus et palacii capellanus, pontifex esse videtur, hoc est res meas proprias in pago Stadunense, in loco qui dicitur ad Madafrido curte, super fluviolum Tuvo, vel in ipsa fine Stovense, id est tam terris, mansis, casis, cum omnibus edificiis, olchis, campis, pratis, silvis sive concidis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, et cum omnibus adjacentiis, quicquid potestatis habeo in ipsa fine, tam de paterno, materno, vel de aviatico, seu de comparato, aut de qualicumque attractu ad me legibus pervenit, in ipsa fine omnia et ex omnibus totum in integrum ad ipsum monasterium condono, trado atque transfundo perpetualiter in Dei nomine ad possidendum, vel quicquid exinde facere vel eligere voluerint in omnibus libero perfruantur arbitrio. Si quis vero (quod futurum esse minime credo), si ego

ipse aut ullus de heredibus meis, vel ulla opposita persona hanc donationem infringere voluerit, iram Dei vel omnium sanctorum incurrat, et insuper inferat ad partem fisci auri libram I, argenti pondera II mulcta sustineat, et quod repetit evendicare non valeat cum stipulatione subnixa.

Actum ad Arstua, publice, anno ab incarnatione Domini DCCXC, indictione XIII, epacta I, concurrente IIII, anno vero XXIII regni Karoli regis, III kalendas martii.

Signum Dodonis, qui hanc donationem fieri rogavit; Signum Hargfini, germani sui consentientis; S. Williboldi; S. Adalbaldi; S. Ibiomi; S. Hilduomi; S. Raineri; S. Morgini. Ego Dodo rogatus hoc testamentum scripsi et subscripsi.

30.

790.

Dodo déclare tenir de l'abbaye de Gorze, à titre de bénéfice ou de précaire, tous les biens qu'il a donnés à cette abbaye à Maffrécourt, dans l'Astenois.

Cartulaire, p. 44 et 45.

Precaria ejusdem.

Domino et in Christo venerabili patri Optario, abbati, una cum illis fratribus qui in Gorzie monasterio consistere videntur, Dodo precator. Cognoscatis, dum et omnibus non est incognitum, qualiter ego donavi res meas in pago Stadunensi, in loco qui dicitur ad Madafrido curte, super fluviolum Tufo, vel in ipsa fine Stovense, id est tam terris, mansis, casis, cum omnibus edificiis superpositis, olchis, campis, pratis, silvis sive concidis, omnia et ex omnibus quicquid in ipsas fines habeo, totum in integrum ad partem sancti Petri vel sancti Gorgonii, vel ad monasterium Gorzie donavi vel affirmavi. Postea mea fuit peti-

cio, et vestra vel fratrum vestrorum fuit voluntas, ut ipsas res et alias sancti Petri et sancti Gorgonii vel vestras, quas germanus meus Bartolomeus, et genitrix mea Hagitea, et Harfridus, in ipso pago Stadunensi, vel in ipsa fine superius nominata, ad ipsum monasterium condonaverunt, excepto illo prato indominicato, illas alias res michi beneficiare deberetis; quod ita et fecistis, in ea vero ratione ut, quandiu ego advivo, ipsas per vestrum beneficium seu successorum vestrorum diebus vite mee valeam excolere vel usare, et nichil exinde in quibuslibet rebus vel corporibus nullum pontificium habeo aliquid minuendi, nisi quicquid ibidem addere vel adtrahere potuero. Post meum quoque discessum, quando quidem Deus voluerit, ipse res immeliorate, absque ullius contradictione vel judicis assignatione, ad ipsum monasterium jam dictum omnimodis revertantur. Et convenit in censum, annis singulis ad festum sancti Gorgonii, quod est v idus septembris, de argento solidum unum dare et adimplere facio; et si de ipso censu tardus aut negligens apparuero ad reddendum, cum legis beneficium est, fidem exinde facio, et ipsas res, quandiu advivo, valeo excolere vel usare.

Facta precaria die et anno quo supra.

31.

Gorze, 791.

Landrada donne à l'abbaye de Gorze des biens à Kirsch-lez-Luttange et à Guélange.

Cartulaire, p. 45 et 46. — Publ. dans le *Bulletin de la Société d'archéologie lorraine*, III, 263.

Testamentum quod fecit Landrada de rebus suis sub Opthario abbate.

Ego in Dei nomine Landrada, filia Teumardi quondam,

pro Dei timoris intuitu, vel pro anima filii mei Fulberti, seu et pro eterna retributione, per hanc cartulam donationis sive testamenti dono ad sacrosanctum monasterium beatorum apostolorum Petri et Pauli, vel sancti Gorgonii martyris, ubi inclitus ac preclarus martir Gorgonius corpore requiescit, vel ad monasterium quod vocatur Gorzia, ubi in Dei nomine Optarius abbas vel cuncta congregatio monachorum consistere videntur, donatumque in perpetuum esse volo, et promptissima voluntate confirmo, hoc est res proprietatis mee in pago Muslinse, in fine vel villa Carisiago, super fluviolum Bibersa, hoc est de terris aratoriis perticas duas, et prato novo in Gaunigas, quod dicitur Simdulfi pratum, et servum meum nomine Garisonum, cum peculiari suo, a presenti die ad ipsum monasterium jam dictum Gorzia condono, trado atque transfundo, perpetualiter in Dei nomine ad possidendum, ita ut ab hac die habendi, tenendi, dominandi, vel quicquid exinde pars ipsius monasterii facere voluerit, liberam ac firmissimam in omnibus habeant potestatem. Si quis vero (quod futurum esse non credo), si ego ipsa, aut aliquis ulla opposita persona, vel aliquis de heredibus vel proheredibus meis, contra hanc donationem venire conatus fuerit, aut eam irrumpere vel immutare voluerit, inferat ei cum cogente fisco auri libram unam, argenti pondera duo mulcta sustineat, et quod repetit evindicare non valeat cum stipulatione subnixa.

Actum in basilica sancti Gorgonii, in Gorzie monasterio, anno ab incarnatione Domini DCCXCI, indictione XIIII, epacta XII, concurrente V, anno vero XXIIII regni Karoli regis.

Signum Landrade, filie Teutmari, que hanc donationem, pro anima filii sui Fulberti, fieri et firmare rogavit; Signum Haierardi; S. Tamuni; S. Hidane; Signum Magerranni; S. Haluini. Ego Fraulfus, ac si indignus monacus, rogatus, hoc testamentum scripsi et subscripsi.

32.

Dagolfesheim, 793.

Heriricus donne à l'église de Petershain, dépendance de l'abbaye de Gorze, les biens qu'il tient de Rehinsindis à Dagolfesheim, dans le pays de Worms.

Cartulaire, p. 46 et 47.

In villa Pataranesheim.

In Christi nomine. Si aliquid de rebus nostris propriis ad ecclesiam Dei conferimus, hoc nobis ad eternam retributionem pervenire credimus. Igitur ego Heriricus, propter nomen Domini, et pro remedio anime Rehinsinde et sui filii Hildibaldi, dono rem illam in villa Dagolfesaim, in pago Warmacinse, quam ipsa Rehinsindis manu potestiva michi tradidit, ad basilicam sancte Marie que est constructa in villa Pataranesaim, et pertinet ad monasterium quod vocatur Gortia, ubi venerabilis Optarius abbas preesse videtur; hoc est quod dono curtilem unum, qui est ab uno latere terra Sancti Petri ad Muniolfeshaim, et ab alio latere habet Willibaldus, et de tercia parte et quarta parte Wadunus, vias publicas et casam in ipso curtile, et scura, et reliquum edificium, et vineas, et terram aratoriam, quicquid in ipsa villa vel in ipsa marca ipsa Rehinsimdis de suo proprio habuit, in eam autem conditionem ut, a presenti die, quicquid ipse abbas vel agentes ecclesie ab ipsa re facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio. Si quis autem (quod futurum esse non credimus), si aliquis de heredibus nostris hanc elemosinam infringere voluerit, in duplum aliud tantum restituat, et quod repetit evindicare non valeat, sed presens omni tempore

donatio hec firma permaneat cum stipulatione subnixa.

Actum in villa Dagolfeshaim, coram testibus, anno ab incarnatione Domini DCCXCIII, indictione I, epacta III[I], concurrente I, anno vero regni Karoli regis XXIII.

Signum Heririci, qui hanc donationem fieri ac firmare rogavit; Signum Folcwini; S. Hadugeri; Signum Batulfi testis; S. Herico; S. Hennulfi; Signum Folrichi; S. Vullibaldi; S. Irminulfi. Ego Libgafirus, cancellarius warinipomas, hanc donationem recognovi et subscripsi.

33.

Saint-Julien-lez-Gorze, 21 décembre 795.

Deodatus donne à l'abbaye de Gorze des biens à Saint-Julien, *Igmerega* et *Sontonega*.

Cartulaire, p. 47 et 48. — Publ. dans le *Bulletin de la Société d'archéologie lorraine*, III, 264.

TESTAMENTUM QUOD FECIT DEODATUS, FILIUS ANGILBERTI, DE REBUS SUIS IN PAGO SCARPONINSE, VEL IN VURBODON[IS] VILLA AD SANCTUM JULIANUM.

In nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti. Ego itaque Deodatus, filius Agliberti quondam, pro Dei timoris intuitu, vel pro anime mee, seu pro uxoris mee Teudradane remedio, seu et pro eterna retributione, per hanc cartulam donationis sive testamenti mei dono ad sacrosanctum monasterium beatorum apostolorum Petri et Pauli, vel sancti Gorgonii martyris, ubi inclitus ac preclarus martyr Gorgonius in corpore requiescit, vel ad monasterium quod vocatur Gorzia, ubi in Dei nomine Optarius abbas, vel cuncta congregatio monachorum preesse videntur, dono igitur res meas in pago Scarponinse, in fine Igmerega, vel

in ipsa villa, cum mansis, campis, pratis, silvis, vineis, pomiferis, et terris aratoriis, omnia et ex omnibus, quicquid de uxore mea Teudradane in ipsa fine michi advenit, totum in integrum, et dono casam meam, cum omni acinctu ad ipsam casam pertinentem, in Warbodi villa ad Sanctum Julianum. Similiter dono in Warbria, in Sontonega fine, silvam meam, quicquid portio mea continet, omnia et ex omnibus, sicut superius dixi, totum in integrum, ad ipsum monasterium condono, trado atque transfundo, perpetualiter in Dei nomine ad possidendum, ita ut ab hac die habendi, tenendi, dominandi, commutandi, vel quicquid exinde facere vel eligere volueritis in omnibus habeatis potestatem faciendi. Si quis vero (quod fieri minime credo), si ego ipse vel ullus de heredibus vel proheredibus meis, seu quelibet ulla opposita persona, contra hanc donationem venire temptaverit, aut eam inrumpere vel immutare voluerit, inferat contra ipsam ecclesiam auri libram unam, argenti pondera II mulcta sustineat, et quod repetit evindicare non valeat, sed presens donatio ista omni tempore firma et stabilis permaneat cum stipulatione subnixa.

Actum in Warbodo villa, in atrio Sancti Juliani, anno ab incarnatione Domini DCCXCV, indictione [III], epacta XXVI, concurrente III, anno vero regni Karoli regis XXVIII, XII kalendas januarii.

Signum Deodati, filii Teudradane, qui hoc testamentum fieri et firmare rogavit; S. Helinenberti, filii sui consentientis; S. Petronille, filie sue consentientis; S. Deudenade, germane sue consentientis; S. Albradi; S. Funberti; S. Bernieri; S. Halcheri; S. Godini; Signum Fogeberti.

34.

795.

Deodatus déclare avoir reçu de l'abbaye de Gorze, à titre de précaire ou d'usufruit, les biens qu'il a donnés à cette abbaye, à Saint-Julien, *Higmerega* et *Sontonega*.

Cartulaire, p. 48 et 49.

Precaria ejusdem.

Domino sancto et in Christo venerabili patri Obtario abbati, una cum illis fratribus qui in Gorzie monasterio consistere videntur, Deodatus precator. Cognoscatis, dum et omnibus non habetur incognitum, qualiter ipse donavi res meas in pago Scarponinse, in fine Higmerega, vel in ipsa villa, cum mansis, campis, pratis, silvis, vineis, pomiferis, et in Varbodo villa, quod dicitur ad Sanctum Julianum, casam cum omnibus edificiis suis, et in Sontonega fine silvam meam, omnia et ex omnibus, totum in integrum, ad partem sancti Petri vel sancti Gorgonii, seu ad monasterium Gorzie vel vobis condonavi vel affirmavi. Postea mea fuit peticio, ad partem meam et ad partem filii mei Helinimberti, ut ipsas res et ipsam casam nobis beneficiare deberetis; quod ita et fecistis; in ea vero condicione ut, quandiu advivimus, per vestrum beneficium, seu successorum vestrorum, diebus vite nostre valeamus excolere vel usare, et nichil exinde in quibuslibet rebus vel corporibus nullum pontificium habeamus aliquid minuendi, nisi quicquid ibidem addere, aut immeliorare, vel adtrahere potuerimus. Post nostrum quoque discessum, quandoquidem Deus voluerit, emeliorate ipse res, absque ullius contradictione vel judicis assignatione, ad ipsum jam fatum monasterium omnimodis revertantur. Et convenit in censum annis singulis ad unamquamque sationem jornale I

arare et seminare, et fructum super colligere et intus mittere; et si de ipso censu tardi aut negligentes apparuerimus, fidem exinde faciamus, et ipsas res, quandiu advivimus, valeamus excolere vel usare.

Facta precaria anno quo supra.

Signum Deodati, filii Angliberti, qui hanc precariam fieri et firmare rogavit; S. Helinumberti, filii sui consentientis; Signum Petronille, filie sue consentientis; S. Deudenadi, germani sui consentientis; S. Albradi; S. Riberti; S. Bernieri; S. Alcheri; S. Sifioni; S. Godini; S. Fageberti. Ego Raulfus hanc precariam rogatus scripsi.

35.

795.

Sigeramnus reconnaît tenir en bénéfice de l'abbaye de Gorze l'église de Jouy-aux-Arches avec ses dépendances.

Cartulaire, p. 49 et 50. — Publié dans les Preuves de l'*Histoire de Metz* des Bénédictins, III, 18.

De ecclesia que est in villa Gaudiaco.

Venerabili in Christo Optario, abbati de monasterio quod vocatur Gorzia, una cum universis fratribus ibi commorantibus, Sigeramnus precator. Cognoscatis, dum et omnibus non habetur incognitum, qualiter ego ecclesiam vestram in honore sancti Andree constructam in villa Gaugiaco per beneficium tenui, et postea spontanea voluntate ipsam ecclesiam per meum gladium vobis reddidi. Iterum vos, per caritatis vestre studium et per peticionem meam, ipsam ecclesiam michi beneficiastis, una cum hoc quicquid ad ipsam ecclesiam obtingere vel pertinere videtur. Postea hanc epistolam manu mea firmatam vobis emisi, ut usus meus una prejudicio ad partem sancti Petri generare non debeat, sed ipsam ecclesiam valeam excolere, et post

discessum meum, cum omni superposito, quicquid supra inventum elaboratum fuerit, pro firmitatis studio, ut omnes altercationes postpositas, duas epistolas uno tenore conscriptas ex hoc fieri rogavi, et censum annis singulis ad festivitatem sancti Gorgonii, quod est v idus septembris, denarios de argento vi dare faciam; et si de ipso censu negligens aut tardus apparuero, ipsum censum in loco restituam, et de ipsa ecclesia vel de ipsis rebus expoliatus esse non debeo.

Facta precaria anno quo supra.

Signum Sigeranni, qui hanc precariam fieri et firmare rogavit; S. Leutheridi, vicedomini; S. Saraghanni; S. Althelini; S. Bliehingi; S. Godalsaci; S. Eusebii; S. Gludegaugii; S. Emmebini. Ego Willifridus scripsi et subscripsi.

36.

Gorze, 795.

Henalvus donne à l'abbaye de Gorze tout ce qu'il possède à Doncourt.

Cartulaire, p. 50 et 51.

In pago Virdunense id est in villa Dodonis curte.

Ego in Dei nomen Henalvus, filius Warnadi quondam, pro Dei timoris intuitu, vel pro anime mee remedio, seu et pro eterna retributione, per hanc cartulam donationis sive testamenti mei dono ad monasterium beatorum apostolorum Petri et Pauli, vel sancti Gorgonii martyris Christi, vel ad monasterium quod vocatur Gorzia, ubi in Dei nomine Obtarius abbas vel cuncta congregatio monachorum die noctuque ibidem fungunt officio; dono igitur, in pago Virdunense, in Dodenega fine, vel in ipsa villa que vocatur Dodona curtem, id est tam mansis, pratis et silvis, et quicquid ad hoc pertinet, quod ego a Waleranno compa-

ravi, a presenti die dono ad ipsum monasterium vel ad ipsos fratres, trado atque transfundo perpetualiter in Dei nomine ad possidendum, ita ut ab hac die habendi, tenendi, donandi, commutandi, vel quicquid exinde facere volueritis, in omnibus habeatis potestatem faciendi. Si quis vero (quod futurum esse non credo), si ego ipse aut aliquis de heredibus meis seu quelibet opposita persona, contra hanc donationem venire temptaverit, aut eam irrumpere vel immutare voluerit, in primis iram Dei incurrat vel omnium sanctorum, et insuper inferat contra ipsam ecclesiam auri libram I, argenti pondera II, et quod repetit evindicare non valeat, sed presens donatio sive testamentum firma omni tempore permaneat cum stipulatione subnixa.

Actum in Gorzie monasterio, anno quo supra.

S. Henalvi, qui hanc donationem fieri et affirmare rogavit; S. Raginedi; S. Roderadi; Signum Raginardi; S. Wigradi; S. Fagemberti; S. Thancherardi. Ego Hercumbertus, ac si indignus monacus, rogatus, hanc donationem scripsi et subscripsi.

37.

Landrecourt (?), 795.

Le comte Gagenfridus et sa femme donnent à l'abbaye de Gorze tout ce qu'ils possèdent à Esnes et ailleurs, dans le Verdunois.

Cartulaire, p. 51 et 52.

DONATIO QUAM FEC[ERUNT] GAGENFRIDUS COMES ET UXOR EJUS DE REBUS SUIS IN PAGO VIRDUNO.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Bene possidet rem suam in seculo, qui sibi de transitoriis hujus seculi

comparat paradisum, et de terrenis se transfert ad celestia, sicut Dominus in sancto ewangelio ait : « Thezaurizate vobis thesauros in celo. » Idcirco, ego in Dei nomen vir illustris Gagenfridus comes, filius Magenfridi, et conjunx sua Theidlindis, filia Albrici comitis, tam pro Dei timoris intuitu quam pro animarum nostrarum remedio, seu et pro eterna retributione, quia cogitavimus dies antiquos et annos eternos in mente habuimus, per hanc cartulam donationis sive testamenti donamus, donatumque esse volumus, atque promptissima voluntate confirmamus ad sacrosanctum monasterium beatorum apostolorum Petri et Pauli, vel ceterorum sanctorum, seu sancti Gorgonii martyris, ubi inclitus ac preclarus martyr Gorgonius corpore requiescit, vel ad monasterium quod vocatur Gorzia, ubi vir venerabilis Optarius, presbiter atque abbas, preesse videtur, vel cuncta congregatio monachorum qui ibidem consistunt, hoc est, rem nostram in pago Virdunensi, in fine Ingaricinse, in villa que vocatur Hingarigo curte, super fluviolum Mala, et in alio loco, in Hacconega curte vel in ejus fines, et in fine Helninse, vel in ipsa villa que vocatur Helna, id est, tam mansis indominicatis quicquid ad ipsos mansos aspicere videtur, mansis, domibus, edificiis, casis, casulis, campis, pratis, pascuis, perviis, silvis, farinariis, aquis aquarumve decursibus, quicquid in ista tria loca habere vel dominari videmur, et quod socer meus Albrigus filie sue Tehidlinde per extraneam personam condonavit, aut de qualicumque adtractu ad nos pervenit, omnia et ex omnibus totum in integrum condonamus, tradimus atque transfundimus perpetualiter in Dei nomen ad possidendum, habendi, tenendi, vel quicquid pro oportunitate ipsius monasterii elegeritis, faciendi in omnibus habeatis potestatem. Si quis vero (quod futurum esse minime credimus), nos ipsi, quod absit! aut aliquis de heredibus vel proheredibus nostris, seu quelibet alia opposita persona hanc donationem irrumpere vel

inmutare voluerit, inferat sacratissimo fisco juribus auri libras II, argenti pondera IIII multa componat, et quod repetit evendicare non valeat, sed hec presens donatio omni tempore firma et inviolabilis permaneat cum stipulatione subnixa.

Actum ad Hingorico curte, anno quo supra.

S. Gagenfridi, illustris viri, comitis, et signum Theidlinde, conjugis sue, qui hanc donationem fieri et firmare rogaverunt; S. Ingorramni; S. Bertramni; S. Hildardi; S. Adegi; S. Fladberti; S. Watueheri; S. Ragetranni; S. Folcracii; S. Sigemundi; S. Leaderii; S. Rancheri; S. Wigradi; S. Glofoini.

Ego Fraulfus, ac si indignus monachus, hanc donationem rogatus scripsi et subscripsi.

38.

795.

Le comte Gagenfridus et sa femme déclarent tenir en précaire de l'abbaye de Gorze les biens qu'ils lui ont donnés à Esnes et ailleurs, dans le Verdunois.

Cartulaire, p. 53 et 54.

EORUMDEM PRECARIA.

Domino sancto et in Christo venerabili patri Optario, abbati, necnon et Autardo, preposito, vel cuncte congregationi monachorum qui in Gorziæ monasterio consistere videntur, Gagenfridus, comes, et conjunx sua Theidlindis, precatores. Cognoscatis, dum et omnibus non habetur incognitum, qualiter nos donavimus res nostras in pago Virdunensi, in Ingoricega fine, vel in ipsa villa Ingoriga curte, super fluviolum Mala, et in alio loco in Hagoneca curte, vel in ipsas fines, vel in fine Helminse, vel in ipsa

villa, id est tam mansis, casis, casulis, campis, pratis, pascuis, perviis, silvis, farinariis, aquis aquarumve decursibus, omnia et ex omnibus, totum in integrum ad partem sancti Petri vel sancti Gorgonii, vel ad monasterium Gorzie condonavimus vel affirmavimus. Postea vero nostra fuit peticio, et vestra fuit voluntas, ut ipsas res diebus vite nostre nobis beneficiare deberetis; quod ita et fecistis; ea scilicet ratione ut, dum ambo advivimus, aut qui ex nobis pari suo supervixerit, ipsas res sub usu fructuario ordine diebus vite nostre valeamus excolere vel usare, et nichil exinde in quibuslibet rebus vel corporibus nullum pontificium habeamus aliquid minuendi, nisi quicquid ibidem addere, aut inmeliorare vel adtrahere potuerimus. Post nostrum amborum quoque discessum, quandoquidem Deus voluerit, ipse res immeliorate, absque ullius contradictione vel judicis assignatione, ad ipsum monasterium Gorzie omnimodis revertantur, et in censum annis singulis, dum ambo advivimus et qui ex nobis superstes fuerit, ad festivitatem sancti Gorgonii, quod est v idus septembris, solidum unum de argento dare faciamus; et si de ipso censu tardi aut negligentes apparuerimus ad reddendum, cum legis beneficium est, hoc restituere faciamus, et ipsas res diebus vite nostre valeamus excolere vel usare.

Facta precaria anno quo supra.

S. Gagenfridi, comitis, et signum Theidlindis, conjugis sue, qui hanc precariam fieri et firmare rogaverunt; S. Ingorranni; S. Hunoni; S. Alioni; S. Amalberti; S. Williberti; S. Gildini; S. Flalberti; S. Adaberti. Ego Fraulfus monachus hanc precariam rogatus scripsi.

39.

Gorze, 796.

Hangilla reconnaît qu'elle et ses enfants tiennent en précaire de l'abbaye de Gorze, non seulement les biens qu'elle a don-

nés à cette abbaye à Maidières, Norroy et Montauville, mais encore ceux que l'abbaye possède à *Hatlirego*, dans le Scarponais.

Cartulaire, p. 54 et 55.

De Montisso villa.

Domino sancto et in Christo venerabili patri Optario, abbati, una cum illis fratribus qui in Gorzie monasterio consistere videntur, Hangilla precatrix. Cognoscatis, dum et omnibus non habetur incognitum, qualiter ego donavi res meas in pago Scarponinse, in fine Magdarinse, in fine Mauriacense, seu in Montisso villa, tam mansis, casis cum omnibus edificiis, campis, pratis, silvis, vineis, pomiferis et terris aratoriis, omnia et ex omnibus, totum in integrum, ad partem sancti Petri vel sancti Gorgonii, vel ad monasterium Gorzie, vel vobis condonavi vel adfirmavi. Postea mea fuit peticio et vestra fuit voluntas, ad partem meam et ad partem filiorum meorum, Ragnohardo et Gersindane et Hancbergane, ut ipsas et alias res vestras in ipso pago Scarponinse, in Hatlirego, quod Teuthardus ad ipsum monasterium condonavit, ut nobis beneficiare deberetis; quod ita et fecistis; in ea vero ratione ut, quandiu advivimus, ipsas res, per vestrum beneficium seu successorum vestrorum, diebus vite nostre valeamus excolere vel usare, et nichil exinde in quibuslibet rebus seu corporibus nullum habeamus pontificium aliquid minuendi, nisi quicquid ibidem addere, vel immeliorare, vel adtrahere potuerimus. Post quoque discessum, quando quidem Deus voluerit, ipse res immeliorate, absque ullius contradictione vel judicis assignatione, ad ipsum monasterium jam dictum Gortia omnimodis revertantur. Et convenit in censum annis singulis ad festivitatem sancti Gorgonii, quod est quinto idus septembris, dum ego advivo, denarios IIII de argento dare facio; post meum dicessum, infantes mei,

unusquisque denarios III de argento dare et adimplere faciant; et si de ipso censu negligentes aut tardi apparuerint ad reddendum, cum legis beneficium est, fidem exinde faciamus, et ipsas res, quandiu advivimus, valeamus excolere vel usare.

Facta precaria in Gorzie monasterio, anno ab incarnatione Domini DCCXCVI, indictione IIII, epacta VII, concurrente V, anno vero regni Karoli regis XXVIIII.

Signum Hangiliane, que hanc precariam fieri et firmare rogavit; S. Theuberti; Signum Hadderiti; Signum Remigii; Signum Roderici; S. Herlefridi; S. Adarlardi; S. Jomadi; S. Bernoni; S. Lamberti; S. Concessi; S. Bertradi; S. Godolsadi. Ego Hercumbertus, ac si indignus monachus, hanc precariam rogatus scripsi et subscripsi.

40.

Gorze, 796.

Nicherus donne à l'abbaye de Gorze un manse et trois journaux de terre à *Waldulfiaca*, dans l'Ornois.

Cartulaire, p. 55 et 56.

Donatio Nicheri de manso in pago Orninse posito in fine Waldulfiaca.

Ego in Dei nomen Nitherus, filius Gauberti quondam, pro Dei intuitu, vel pro anime mee remedio, seu et pro eterna retributione, per hanc cartulam donationis sive testamenti dono ad sacrosanctum monasterium beatorum apostolorum Petri et Pauli, vel sancti Gorgonii martyris Christi, ubi inclitus ac preclarus martyr Gorgonius corpore requiescit, vel ad monasterium quod vocatur Gorzia, ubi in Dei nomen Optarius abbas vel cuncta congregatio monachorum preesse videntur; dono igitur mansum unum et jurnalia III de terra aratoria, in pago Horninse,

in fine Waldulfiaca; qui mansus ita determinatur : de uno latere Hagbertus tenet, de alio latere Lanfridus tenet, de una fronte ratio Sancti Petri, de alia vero fronte Iseboudus tenet, ipsum mansum cum terra, cum omni integritate ad ipsum monasterium condono, trado atque tranfundo (*sic*) perpetualiter in Dei nomine ad possidendum. Si quis vero (quod futurum esse minime credo), si ego ipse aut ullus de heredibus vel proheredibus meis, seu quelibet ulla opposita persona, contra hanc donationem venire temptaverit, et eam irrumpere vel immutare voluerit, inferat contra sacratissimum fiscum auri libras II, argenti pondera IIII mulcta sustineat, et quod repetit evindicare non valeat, sed presens donatio omni tempore firma permaneat cum stipulatione subnixa.

Actum Gortie monasterio, anno quo supra.

S. Nicheri, filii Gauberti, qui hoc testamentum fieri et firmare rogavit; S. Ragemberti; S. Herimoldi; S. Bergaudi; S. Flodulfi; S. Burgoldi; S. Haldini; S. Gisloldi. Ego Hercumbertus, ac si indignus monachus, hanc donationem rogatus scripsi.

41.

Gorze, 802.

Landrada donne des serfs (*mancipia*) à l'abbaye de Gorze.

Cartulaire, p. 56 et 57. — Publ. dans les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 21.

DONATIO QUAM FECIT LANDRADA DEO SACRATA.

Ego in Dei nomine Landrada, Deo sacrata, cogitans pro Dei timoris intuitu, vel pro anime mee remedio, seu et pro eterna retributione, per hanc cartulam donationis sive testamenti dono ad sacrosanctum monasterium beatorum apostolorum Petri et Pauli, vel sancti Gorgonii martyris Christi, ubi inclitus ac preclarus martyr Gorgonius in cor-

pore requiescit, vel ad monasterium quod vocatur Gorzia, ubi in Dei nomen Magulfus episcopus idemque abbas rector preesse videtur, donatumque esse volo, et promptissima voluntate confirmo, hoc est quod dono mancipia, eo scilicet tenore, ut ab hac die quicquid exinde pars ipsius ecclesie ejusque rectores de ipsis mancipiis facere voluerint, liberam ac firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi. Si quis vero (quod futurum esse non credo), si ego, aut aliquis de heredibus meis, seu quislibet prava calliditate commotus aut cupiditate preventus, contra hanc deliberationem meam, quam ego pro anime mee remedio scribere rogavi, venire temptaverit, in primis iram Dei incurrat, et sanctum Petrum vel sanctum Gorgonium habeat exactores, et in die judicii exinde reus teneatur, et insuper inferat sociante fisco auri libras II, argenti pondera II mulcta sustineat, et quod repetit evindicare non valeat, sed hec presens donatio omni tempore firma permaneat cum stipulatione subnixa.

Actum Gorzie monasterio, anno ab incarnatione Domini DCCCII, indictione X, epacta XIIII, concurrente V, anno vero Karolo regnante rege XXXIIII, et tercio imperii.

Signum Landradane, que hanc donationem fieri et firmare rogavit; Signum Sairvardi; S. Gunteri; S. Theuteri; S. Girberti; S. Raginardi; S. Autcheri; S. Evroni. Ego Avidus notarius hanc donationem scripsi.

42.

Le Fresne (?), 28 février 804.

Wiggiricus donne à l'abbaye de Gorze ce qu'il possède à Charmont, dans l'Astenois.

Cartulaire, p. 57 et 58.

DONUM WIGERICI DE REBUS QUAS HABUIT IN PAGO STADANINSE.

In Christi nomine. Ego Wiggiricus, sana mente sanoque

consilio donante ad ecclesias sancti Petri, sancti Stephani vel sancti Gorgonii, que sunt constructe in pago Scarponinse, ad jam dictum monasterium Gorzia, ubi in Dei nomine Magulfus, gratia Dei episcopus atque abbas, presens custos esse videtur, ego itaque, in Dei nomen Wiggiricus, dono res meas pro anima mea in pago Stadanensi, in loco nuncupante qui dicitur ad Calmontis, hoc est, tam in terris, mansis, casis cum edificiis, olcis, vineis, campis, pratis, silvis, aquis, paries et omnibus adjacentiis, quicquid ego et uxor mea Godruna pariter dato precio comparavimus in ipsa villa Calmontis, vel in ipsa fine, meas duas partes in integrum, a presenti die partes ipsas ad ecclesias sancti Petri vel sancti Gorgonii, ad ipsos custores qui ad ipsas ecclesias deserviunt, de jure meorum recipiant potestatem vel dominationem perpetualiter in Dei nomine possidendi, habendi, dominandi, vel quicquid exinde facere voluerint liberam et firmissimam in omnibus habeant potestatem. Si quis vero (quod fieri non credo), si ego, aut ullus de heredibus meis, aut quelibet ulla opposita persona, contra testamentum istud venire temptaverit, et illud infringere vel immutare voluerit, componat in auro libras duas, et in argento pondera quinque, et ista multa sustineat.

Et ut hoc testamentum firmum permaneat cum stipulatione subnixa, actum ad Friscanam ecclesiam, in mallo publico, ubi firmata, sub die III kalendas martii, anno ab incarnatione Domini DCCC III, indictione XII, epacta VI, concurrente I, anno vero regni Karoli regis XXXVI.

S. Wiggirici comitis, qui testamentum fieri et firmare rogavit; Signum Gostberti; S. Nancheri; Signum Gotherti; S. Herbaldi; S. Grivorii; Signum Sangulfi; S. Branconti; Signum Heromi; S. Bermari; S. Heldigeri; S. Anselmi. Ego Dodo, rogatus ac manumissus, scripsi et subscripsi.

43.

Le Fresne (?), 804.

Wiggiricus et sa femme Osburch déclarent tenir en précaire de l'abbaye de Gorze les biens qu'ils lui ont donnés à Charmont.

Cartulaire, p. 58.

Precaria ejusdem.

Venerabili in Christo patri nostro Magulfo, gratia Dei episcopo atque abbati, illustris vir Wiggiricus et conjunx sua Osburch pariter precatores. Dummodo ad nostram peticionem vel supplicationem servi vestri, vel ecclesiis vestris sancti Petri, sancti Stephani vel sancti Gorgonii, et sunt ille res in pago Stadaninse, in loco numcupato qui dicitur ad Calmontis, mansis, casis cum edificiis, olcis, vineis, campis, pratis, silvis et omnibus adjacentiis, quicquid per mea instrumenta partibus vestris condonavi, vel adfirmavi in integrum, pariter precati sumus vos, diebus vite nostre, ut absque prejudicio vestro vel ecclesie vestre, per vestrum beneficium licentiam haberemus super ipsas res commanendi vel laborandi sub usu fructuario, et concedere deberetis; quod ita et fecistis. Propterea presentem cartulam precariam vobis emittimus, sicut superius diximus, ut licentiam habeamus super ipsas res commanendo vel laborando. Et annis singulis, ad festivitatem sancti Gorgonii, in censu solidum I de argento dari faciemus; et si de ipso censu negligentes aut tardi apparuerimus, partibus ecclesie contra id fidem stare faciemus. Et dum unus de nobis parem suum supervixerit, ipsas res valeat excolere vel usare; et post nostrum quoque discessum amborum, quando quidem Deus voluerit, cum omni integritate ad ipsam casam Dei revertantur.

Et ut hec precaria firma permaneat cum stipulatione

subnixa, actum ad Friscanam ecclesiam, ibi fuit firmata, anno quo supra.

Signum Wiggirici comitis; Signum Osburch, uxoris sue, qui hanc precariam pariter fieri rogaverunt; S. Gosberti; Signum Nancheri; † Signum Goberti; † Signum Herbaldi; † Signum Grivarii; † Signum Jumgulfi; † Signum Branconti; † Signum Heroini; † Signum Bermari; † Signum Heldigeri; † Signum Anselmi; S. Henrici. Ego Dodo rogatus ac manumissus scripsi et subscripsi.

44.

19 avril 811.

Uncrinus et sa femme Immildis déclarent tenir en précaire de l'abbaye de Gorze les biens qu'ils lui ont donnés à Tilly, Landaville (?), La Bouloie (?), Suriauville (?), etc.

Cartulaire, p. 59 et 60.

PRECARIA QUAM FECERUNT UNCRINUS ET CONJUNX SUA IMMILDIS DE ECCLESIIS ET ALIIS REBUS IN SOLACINSE.

Domino sancto et in Christo venerabili patri Magulfo, gratia Dei episcopo atque abbati, una cum illis fratribus qui in Gorzie monasterio consistere videntur, Uncrinus et conjunx mea Immildis pariter precatores. Cognoscatis, dum et pluribus non habetur incognitum, qualiter nos donavimus res nostras vel mancipia in pago Virdunense, in fine Tilgentense, vel in ipsas fines, seu et in Bagrulfo villa; id est mansis, casis, casulis, cum omnibus edificiis desuper positis, campis, pratis, silvis, vineis, pomiferis et terris aratoriis, totum in integrum, seu et mancipia xv : Gislaldo, Iliomo, Godebrando, Woningo, Hoelerio, Ursiono, Dotlinde, Papiane, Altilde, Immenilde, Varagde, Ermenagde, Aldelinde, Agitiane, Minagde, cum omnibus peculiaribus eorum, totum in integrum, ad partem sancti

Petri vel sancti Gorgonii, seu ad monasterium ad Gorziam vel vobis condonavimus vel affirmavimus. Postea nostra fuit peticio, ad partem nostram et ad partem filii nostri Tangelradi, ut ipsas res quas nos ipsi dedimus in pago Virdunense, in fine Tilecinse, vel in ipsa villa, et pratum unum in Bagrulfo villa, exceptis illis aliis rebus in ipsa Bagrulfo villa, et illis rebus in pago Scarponinse, in Sumtuno villa, vel in ipsas fines, quicquid ad hoc pertinet quod nos ad presentem diem dedimus, ut alias illas res nobis beneficiare deberetis; quod ita et fecistis. Similiter beneficiastis nobis vel filio nostro Tangilrado alias res sancti Petri vel sancti Gorgonii, seu vestras, pro usu merito quod nos dedimus; id est illas res in pago Solacinse, in Landini villa, et in Bettun curte, et in Bidolido, et in Senorio villa; id est mansis, casis cum ecclesiis vel omnibus edificiis seu et mancipiis, vel quicquid Rotfridus, seu uxor sua Bertrada, pariter ad ipsum monasterium per suarum instrumenta cartarum condonaverunt, nobis vel filio nostro beneficiare deberetis, quod ita et fecistis; in ea vero ratione ut, quandiu advivimus, ipsas res vel ipsa mancipia per vestrum beneficium seu successorum vestrorum diebus vite nostre valeamus excolere. Post nostrum disscessum, filius noster Tangelradus, si nobis supervixerit, similiter per vestrum beneficium teneat, et nichil exinde in quibuslibet rebus vel corporibus nullum pontificium habeamus aliquid minuendi, nisi quicquid ibidem addere aut immeliorare vel comparare potuerimus. Post nostrum quoque discessum, quando quidem Deus voluerit, ipse res seu ipse ecclesie vel mancipia cum omni superposito ad ipsum monasterium revertantur. Et convenit in censum annis singulis, ad festivitatem sancti Gorgonii, quod est v idus septembris, dum nos advivimus, dimidiam libram de argento dare faciamus. Post nostrum discessum, filius noster Tangelradus, si nobis supervixerit, similiter faciat. Et si de ipso censu tardi aut negligentes apparuerimus, fidem exinde

faciamus, et ipsas res vel ecclesias seu mancipia diebus vite nostre valeamus excolere vel habere.

Facta precaria sub die XIII kalendas maii, anno XLIII regnante domino nostro Karolo rege, anno vero imperii ejus elevati XII, et anno ab incarnatione Domini DCCCXI, indictione IIII, epacta XXIII, concurrente II.

Signum Uncrini, et conjugis sue Immilde, qui hanc precariam fieri et firmare rogaverunt. Nomina testium : Blitcherius †. Agredus †. Item Uncrinus †. Agnardus †. Boso †. Amalbertus †. Balduinus †. Hidulfus †. Giorius †. Bando †. Item Agredus †. Odelbertus †. Ibertus †. Winiaudus †. Teudardus. Ofterius. Germanus †. Tancarius †. Amgimbertus †. Teoderius †.

45.

Aix-la-Chapelle, 23 mars 815.

Louis le Débonnaire approuve un accord passé entre Hartmannus et l'abbaye de Gorze, en vertu duquel le premier avait reçu du monastère, à titre d'usufruit, les biens qu'il lui avait donnés dans le Scarponais.

Cartulaire, p. 60-62. — Publ. par Meurisse, *Hist. des évêques de Metz*, p. 185, par D. Calmet, *Hist. de Lorraine*, II, col. CXXIV, dans *Gallia christiana*, XIII, Instr., col. 381, et dans *Historiens de France*, VI, 477. Cf. Sickel, *Acta regum et imperatorum Karolinorum*, II, 100 et 305, et Bœhmer-Muehlbacher, *Regesten des Kaiserreichs*, etc., I, 227.

CONFIRMATIO DONNI LUDOICI IMPERATORIS DE REBUS NOSTRIS.

In nomine domini Dei, ac salvatoris nostri Jhesu Christi, Hludowicus, divina ordinante clementia, imperator augustus. Cum justum esse constat ut regalis atque imperialis potestas his aliquod munus impertiat quorum necessitas hoc postulare comprobat, tum non minus equitatis ordo videtur exigere ut his eadem potentia liberius aurem

accommodet, et eorum peticiones ad effectum perducat, quorum fideli famulatu manifesta devotionis obsequia demonstrantur. Idcirco notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum tam presentium quam et futurorum sagacitati, qualiter, suggerente atque petente Madefrido, fideli nostro, res quasdam Hartdemannus proprietatis sue, que sunt in pago Scarponinse, in fine Teodalciaga, et in fine Scamninse, et in fine Helmunciaga, et in fine Audoniaga, et in fine Adsosoloniaga, et in fine Walaburicinse, et in fine Halaricinse, et in fine Cimboloniaga, et in fine Dodoniaga, et in fine Bedernecinse, et in fine Bavoniaga, id est tam mansis, casis, casulis, cum omnibus edificiis desuper positis, campis, pratis, vineis, silvis, cultis et incultis, aquis aquarumque decursibus, quicquid ab hac die Hartmannus visus fuit habere et potestatem habuit, totum ad integrum, ad partem sancti Stephani, vel sancti Petri, vel sancti Gorgonii, vel ad ipsum monasterium Gorzia condonavit, ad tempus Optarii abbatis, et accepit in prestariam in pago Scarponinse, et in fine Bavoniaga, vel in ipsa villa Bavono curte, sicut et ipsa prestaria docet, totum et ad integrum. Postea venit Magulfus, corepiscopus atque abbas de ipso monasterio, et voluit prestariam ipsam cassare. Tunc Hartmannus comes ad nostram accessit clementiam, deprecans ut ipsam prestariam, quam a supramemorato abbate Optario acceperat, per nostram mundeburdam et licentiam, diebus vite sue, sicuti inter eos convenerat, habere potuisset. Cujus peticionibus, domus Dei utilitatem considerantes, captato fidelium nostrorum consilio, annuimus, et ideo hanc nostre auctoritatis largitionem predicto fideli nostro Hartmanno, pro peticionne Madefridi, fidelis nostri, ac ceterorum, fieri decrevimus, per quam statuimus atque sanccimus ut res superius scriptas, quas tam ipse Hartmannus ad ipsam casam Dei dedit, quam etiam illas quas in prestariam accepit, per hoc majestatis nostre preceptum, secundum predictam conventionem, diebus vite sue secure

possideat, et nullum exinde pontificium in quibuslibet rebus vel corporibus aliquid minuendi habeat, sed quicquid ibidem accrescere, immeliorare vel adtrahere voluerit, ac si liberos proprios ex rebus memoratis heredes fieri decerneret. Satagat ita tamen ut, per singulos annorum recursus, persolvi in censum ad festivitatem ipsius beati martyris Gorgonii, quod est v idus septembris, solidos v denariorum, aut quantum de cera precio tanto comparari potest, faciat; quod si de ipso censu negligens aut tardus extiterit, emendato neglecto, quod teneat tenet. Post discessum vero suum, quando sic Deus voluerit, ipse res bene aucte et emeliorate, absque ulla contradictione vel judicis assignatione, ad jam fatum monasterium redeant. Hec vero auctoritas clementie nostre ut inviolabilis et inconvulsa permaneat, manu propria subterfirmavimus, et bulle nostre impressione signari jussimus.

Signum Hludowici serenissimi regis. (*Monogramme.*)

Ego Durandus, diaconus, ad vicem Helisaar recognovi.

Data x kalendas aprilis, anno ab incarnatione Domini DCCCXV, indictione VIII, epacta VII, concurrente VII, anno vero II° regni Hludowici imperatoris.

Actum Aquisgrani, palatii regii, in Dei nomine feliciter. Amen.

46.

Herbeuville, 822.

Warnildis donne à l'abbaye de Gorze tous ses biens à Doncourt et Ancourt (?).

Cartulaire, p. 62 et 63.

DONATIO QUAM [FECIT] WARNILDIS DE DODONIS CURTE.

Ego in Dei nomen Warnildis, pro Dei timoris [intuitu], vel pro anime mee remedio, seu et pro eterna retributione,

dono ad eclesiam sancti Petri vel sancti Gorgonii martyris, que est constructa in loco qui dicitur Gorzia, quam domnus Chrodegangus a novo edificavit, et in qua Haldinus abbas cum monachis suis consistere videtur, res meas totas in pago Virdunense sive Wabrinse, in loco qui dicitur in Dodoni curte, vel in ipsa fine, et in Emceno curte, vel in ipsas fines, tam terris, mansis, casis, casulis, domibus, edificiis, campis, periis, vel reliquis adjacentiis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumve decursibus, cultis et incultis, omnia et ex omnibus, quicquid michi de genitore meo et de genitrice mea, aut per dotalicium, aut de diversis hominibus dato precio comparavi, aut de qualicumque adtractu ad me pervenit, totum in integrum, ad ipsam casam Dei sancti Petri condono, trado atque transfundo perpetualiter, ita ut ab hac die habendi, tenendi, possidendi, vel quicquid exinde pars ipsius basilice decreverint faciendi, libero in omnibus perfruantur arbitrio. Si quis vero (quod fieri non credo), si ego, aut ullus de heredibus vel de choheredibus meis, seu quelibet alia opposita persona, contra presentem cartulam testamenti venire temptaverit, aut eam inrumpere voluerit, inferat sacratissimo fisco auri libram unam, argenti pondera II mulcta sustineat. Et ut hec cartula testamenti firmior sit, manu propria subtersignavimus, et qui subscriberent vel signarent in presenti rogavi stipulatione subnixa.

Actum in Harbodo villa, anno ab incarnatione Domini DCCCXXII, indictione XV, epacta XXV, concurrente II, anno IX regni Lodowici imperatoris.

Signum Warnildis, qui hoc testamentum fieri et (fieri) firmare rogavit; Signum Baldoini; S. Amelberti; S. Ermenardi.

47.

Bouillonville (?), 824.

Warachio donne à l'abbaye de Gorze tous ses biens d'Herbeuville (?), Mousson (?) et Éply (?), dans le Scarponais.

Cartulaire, p. 63 et 64. — Publ. dans le *Bulletin de la Société d'archéologie lorraine*, III, 265.

DONATIO QUAM FECIT WALACHIO DE WARBOEDIS VILLA.

Ego in Dei nomen Warachio, cogitans pro anime mee et germani Aldefridi remedio, seu et pro eterna retributione, ut veniam de peccatis nostris consequi mereamur in futurum, dono a die presenti ad ecclesiam beatorum Petri et Pauli vel sancti Gorgonii martyris, vel ad monasterium quod vocatur Gorzia, ubi Haldinus abbas preesse videtur, omnes res meas in pago Scarponinse, in fine Warbodegia, sive in Warbodo villa, et in fine Mausenciaga, et in fine Heppliniaga, quicquid in ipsas fines superius nominatas habeo, vel de qualicumque adtractu ad me pervenit; hoc sunt mansis. Et terminat ipse mansus de latere et fronte ratio Sancti Stephani est; de alio latere Sefius tenet; de alia vero fronte strada publica est, inter istas terminationes in integrum, et de aliis rebus in ipsas fines superius nominatas; hoc sunt mansis, campis, pratis, pascuis, curtilis, ortilis, pomiferis, perviis, silvis, cultis et incultis, aquis aquarumve decursibus, totum in integrum. Hec omnia superius comprehensa, de jure meo in jus et dominationem sancti Stephani et sancti Petri et Pauli vel sancti Gorgonii dono, trado atque transfundo in Dei nomine ad possidendum, et quicquid pars ipsius ecclesie exinde elegerint faciendum, in omnibus liberam ac firmissimam habeant potestatem faciendi. Si quis vero, ipse aut ullus de heredibus vel proheredibus meis, contra

hoc testamentum venire temptaverit, aut illud infringere voluerit, inferat contra ipsam ecclesiam sancti Petri et custores auri libram I, argenti pondera II mulcta sustineat, et quod repetit evendicare non valeat, sed hoc testamentum firmum permaneat stipulatione subnixa.

Actum in Bodilione, in atrio Sancti Martini, anno ab incarnatione Domini DCCCXXIIII, indictione II, epacta XVII, concurrente V, anno XI imperii Hlodovici imperatoris.

Signum Warachione, qui testamentum istud fieri et firmare rogavit; S. Tancheri; S. Goberti; S. Haberti; S. Wangerti; S. Odilarti; S. Agnarti. Ego Harouos, emmanuensis, rogatus hoc testamentum scripsi et subscripsi.

48.

824.

Notice d'un échange de biens à *Alta villa*, dans le pays de Voncq, fait par l'abbé de Gorze, contre des biens à Vionville (?) appartenant à un nommé Heriwinus.

Cartulaire, p. 64 et 65.

IN GUIONIS VILLA.

In Dei nomine placuit atque convenit inter venerabilem virum Haldinum, abbatem, et illustrem virum Heriwinum, una per consilium et licentiam domni et senioris nostri Drogoni, archiepiscopi, ut aliquas res pro communi utilitate et compendio inter se commutarent; quod ita a die presenti et fecerunt. Dedit igitur predictus venerabilis Haldinus abbas, de rebus sancti Gorgonii, jam dicto viro Herwino, ad partem proprietatis sue, in pago Vonzinse, secus fluvium Axna, in villa que dicitur Alta villa, mansum unum qui determinatur : de ambobus lateribus terra Sancti Stephani, de una fronte fluvium Axana, de alia vero fronte via publica, in quibus habet vineam unam,

et de terra aratoria ancingas IIII et dimidiam. Et econtra, in recompensationem hujus meriti, dedit prefatus Heriwinus, de rebus proprietatis sue, in pago Scarponinse, in Guionis villa, mansum unum cum casis vel ceteris edificiis, qui sic determinatur : de ambobus lateribus et una fronte terra sancti Petri vel sancti Gorgonii, de alia vero fronte via publica, in quibus habet inter totum de terra ancingas X; ea scilicet condicione, ut quicquid pars alteri contulit parti, deinceps jure firmissimo teneat atque possideat. Unde et duas commutationes pari tenore conscriptas, manibus bonorum hominum roboratas, invicem fieri decreverunt, per quas inviolabiliter quicquid pars alteri parti contulit stare firmius censuerunt stipulatione subnixa.

Anno quo supra actum.

49.

Freginville, 835.

Hunaldus, sa femme et son fils donnent à l'abbaye de Gorze leurs biens de Freginville, Possesse et Herpont (?), dans l'Astenois.

Cartulaire, p. 65 et 66.

DONATIO QUAM FECERUNT HUNALDUS ET UXOR EJUS.

Ego in Christi nomine Hunaldus, et conjunx mea Hrotgardis, et filius noster Adelaldus, pariter sana mente sanoque consilio, donamus ad ecclesiam sancti Petri et sancti Gorgonii, que est constructa in pago Scarponinse, in monasterio quod dicitur Gorzia, ubi in Dei nomen Aldinus abbas presens custos esse videtur, idcirco nos donamus donum quod in perpetuum esse volumus; hoc est res et mancipia nostra in pago Stadunense, in loco qui dicitur ad Frezea villa, mansis, cum edificiis, olcis, campis, pratis, aquis aquarumve decursibus, et omnibus

adjacentiis, quicquid in ipsa villa, vel in ipsa fine, potestatem habemus in integrum; similiter, in alio loco in ipso pago Stadunense, in loco qui dicitur ad Possessa, mansos cum edificiis, olcis, campis, pratis, aquis aquarumve decursibus, quicquid in ipsa villa vel in ipsa fine potestatem habemus, in integrum; necnon et in tercio loco, in ipso pago, in loco qui dicitur ad Warnegpont, mansos cum edificiis, olcis, campis, pratis, silvis, aquis aquarumve decursibus, quicquid in ipsa tria loca vel in ipsos fines visi sumus habere in integrum, et mancipia VI his nominibus : Guthero, Adino, Adelen, Guntherto, Heltbert, Wenetagil, a presenti die pars ipsius ecclesie sancti Petri et sancti Gorgonii, et illi costores qui ad ipsam ecclesiam deserviunt, de jure nostro in eorum recipiant potestatem vel dominationem perpetualiter, in Dei nomen, possidendi, habendi, dominandi, vel quicquid exinde elegerint faciendi in omnibus habeant potestatem. Si quis vero (quod fieri minime credimus), si nos ipsi vel ullus de heredibus nostris, aut quelibet ulla opposita persona, contra hoc testamentum venire temptaverit, aut eum infringere voluerit, inferat sacratissimo fisco auri libram I, argenti pondera duo ista mulcta sustineat, et quod repetit evendicare non valeat stipulatione subnixa.

Actum ad Frezea villa, anno ab incarnatione Domini D CCC XXXV, indictione VIII, epacta XVIII, concurrente IIII, anno XXII domini Hludovici serenissimi imperatoris.

Signum Ehunaldi, et signum Hrohart, et Adelalt, qui hoc testamentum [fieri] et firmare rogaverunt; Signum Teutmari; Signum Wigiri; S. Gausperti; S. Dinogti; S. Hrodoani; S. Hancheri, S. Vulberti. Ego Rigbrandus, presbiter emmanuensis, scripsi et subscripsi.

50.

Gorze, 848.

Fredaluus et sa femme Blitgia donnent à l'abbaye de Gorze leurs biens de Rembercourt-sur-Mad, Jaulny et Charey.

Cartulaire, p. 66 et 67. — Publ. dans les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 27.

In villa Raimberti curte.

Nos itaque in Dei nomine Fredaluus, et conjunx sua Blitgia, pariter cogitantes pro anime nostre remedio vel eterna retributione ut veniam de peccatis nostris consequi mereamur in futuro, donamus res nostras, donatumque in perpetuum esse volumus, et promtissima voluntate confirmamus ad partem sancti Stephani et sancti Petri vel sancti Gorgonii, vel ad monasterium quod vocatur Gorzia, ubi domnus Drogo, gratia Dei archiepiscopus atque abbas, preesse videtur, vel cuncta congregatio monacorum fungunt officio, hoc est res nostras in pago Scarponinse, in fine Raginbertiaca, vel in ipsa villa Raginberto curte, hoc est duos mansos vestitos, et alios duos mansos, et vineas duas, et farinarium unum, et de aliis rebus in ipsa fine Ragimbertiaca, et in fine Caderecinse, et in fine Galliniaga, inde sunt campi, et silve, et terre arabiles ad ipsos IIII mansos, ad unu[m]quemque mansum jurnales LX, una cum terminis et lateranibus eorum, quicquid ab hac die ibidem visi sumus habere, totum in integrum, et in ipsas fines de prato ad fenum faciendum ad carradas XII, et mancipia VI his nominibus : Agnero, Angleero, Autgario, Ratmerane, Anslint, Theutgart. Ista omnia superius nominata, ita ut quicquid pars ipsius monasterii exinde elegerint faciendum, liberam habeant potestatem faciendi. Si quis vero, nos ipsi aut ullus de heredibus

nostris, contra hoc testamentum venire temptaverit, aut eum frangere voluerit, inferat ei contra ipsam casam Dei, sancti Stephani vel costores auri libram unam, argenti pondera duo mulcta sustineat, et quod repetit evendicare non valeat, sed hoc testamentum firmum permaneat stipulatione subnixa.

Actum in Gorzie monasterio, anno ab incarnatione Domini DCCC XLVIII, indictione XI, epacta XII, concurrente VII, anno nono imperii Lotharii regis.

S. Fredalui, et S. conjugis sue Blitgiane, qui hoc testamentum fieri et firmare rogaverunt; S. Ogtulfi, germani sui consentientis; S. Anglemaro; S. Lodovino; † Teulbalt; † Rodulfi; † Anselomi; Adhelsaroi; † Ernalrt; † Belecrin; † Altavio; † Bertero; † Hiberto; † Ranchero; Guntbert; † Blithero; Raginaldo; † Morlant; Deodenado; † Vundelmaro; † Helmerico; † Albrico; Remigii; Ragembert; † Filimaro; † Faremont. Ego Hariouos, emmanuensis, hoc testamentum scripsi et supscripsi.

51.

Gorze, 848.

Fredaluus et sa femme Blitgia reconnaissent tenir en précaire de l'abbaye de Gorze, non seulement les biens qu'ils lui ont donnés à Rembercourt et Charey, mais d'autres encore dans le pays de la Moselle et dans le Scarponais.

Cartulaire, p. 67-69.

EJUSDEM PRECARIA.

Venerabili in Christo patri nostro domno Drogoni, gratia Dei archiepiscopo atque abbati de monasterio sancti Stephani et sanctorum Petri et Pauli vel sancti Gorgonii, cujus vocabulum est Gorzia, Fredaluus, et conjunx sua Blitgia, pariter precatores. Cognoscatis, dum et omnibus

non habetur incognitum, qualiter nos res nostras in pago Scarponinse, in fine Raginbertiaca, vel in ipsa villa Raginber curte, et in fine Cadercinse, hoc est mansos duos vestitos, et alios mansos II, et vineas duas, et farinarium unum, campos, et silvas, terras arabiles que ad ipsos mansos sunt aspicientes, ad unumquemque mansum jurnales XL, de prato ad fenum faciendum ad carradas XII, et mancipia VI his nominibus : Agner, Angleherus, Autgario, Ramerane, Anslint, Teutgart, ad partem ipsius monasterii sancti Stephani et sancti Petri vel sancti Gorgonii, vel ad partem domni Drogonis, condonavimus vel affirmavimus. Postea nostra fuit peticio, et vestra habuit pietas, et fratrum fuit voluntas, ut tam ipsas res et mancipia quam et alias res sancti Stephani in pago Moslinse, vel in villa Auviniago, quas nos ad partem sancti Stephani dedimus, inde sunt mansi duo, et alie res que ad ipsos mansos aspiciunt, campi, prata, vinea una, silve in integrum et mancipia super ipsum cummanentibus, et in fine Argesyngas, et in Sismerengas, et in Bertinerengas, quicquid ibidem genitrix mea Osianna per prestariam habuit, in integrum totum, et in pago Scarponinse, in Inwaldo villa, et in fine Betheniaga, et in fine Xuroninse, et in Villare, quicquid modo in ipsas fines per prestariam habuimus, et mancipia ibidem commanentia, et res et mancipia totum in integrum, et ibidem in ipsas fines precamur mansos duos et dimidium, et illas terras que ad ipsos mansos aspiciunt, campos et prata, et de ipso meo beneficio in integrum, et in Badullo villa mansos duos, et terras arabiles, et prata ad ipsos mansos aspicientia, et mancipia super commanentia, idem totum integrum michi Fredaluo, et uxori mee Blitgane, et filio meo Ragenfrido, et nepoti meo Fredalao, sub usu fructuario ordine nobis beneficiare deberetis; quod ita et fecistis, in ea vero ratione ut, quamdiu nos advivimus, utrumque alium supervixerit ipsas res et mancipia valeant excolere

vel usare, et nullum exinde habeamus pontificium minuendi nec alienandi, nisi quicquid ibidem addere aut immeliorare potuerimus. Post nostrum quoque, quando quidem Deus voluerit, discessum, ipse res et mancipia cum omni superposito, absque ullius contradictione vel judicis assignatione, ad partem sancti Stephani vel sancti Gorgonii omnimodis revertantur. Et censum annis singulis, de festivitate in festivitatem aliam sancti Gorgonii, quod est v idus septembris, de argento uncias duas dare et adimplere faciamus; et, si de ipso censu negligentes apparuerimus, contra ipsam casam Dei sancti Petri vel sancti Gorgonii vel costores fidem faciamus, et de ipsis rebus ejecti esse non debemus.

Facta precaria in monasterio Gorzie, in atrio Sancti Petri, in publico, anno quo supra.

52.

26 mars 849.

Drogon, archevêque de Metz, déclare que son vassal Ogulfus a reçu en précaire, de l'abbaye de Gorze, divers biens à Waville, Villers et ailleurs, dans le Scarponais.

Cartulaire, p. 69-71. — Publié dans les Preuves de l'*Histoire de Metz* des Bénédictins, III, 28.

In Inwaldi villa et in Villare.

In nomine Domini. Drogo, gratia Dei Mediomatrice urbis ecclesie archiepiscopus ac sacri palacii primus cappellanus. Agnoscant igitur omnes fideles sancte Dei ecclesie, videlicet sancti Stephani et sancti Petri, que sita est infra monasterium Gorzie, in quo etiam venerantur cineres beati Gorgonii martyris, presentibus scilicet et futuris, quod Ogulfus quidam, vassallus noster, et conjunx sua Cara, dederunt de rebus sue proprietatis quandam partem

ad nominatam ecclesiam, almi videlicet Petri, in pago Scarponinsi et ejusdem finibus; scilicet : in termino Ligoniaga, Bauleniaga, mansos II, unum vestitum et alterum; in ipsa villa habet de terra arabili in ipsis finibus jornales CLXXX, de prato ad fenum colligendum karratas XIIII, et mancipia VI, his nominibus : Hardrado, Everaldo, Eilaldo, Agifrido, Erembergane, Rothaide; omnia que supra intimata sunt perpetualiter ad possidendum condonaverunt. Post hoc namque predictus Ogtulfus nostram adiit mansuetudinem, precando ut nos ipsas res et alias concederemus de facultate prefate ecclesie sancti Petri, nostreque potestatis, huic et uxori ejus Kare, filiisque eorum Halaino et Theufredo; quas ipse a nobis beneficiatas habuit, per consensum fratrum qui in ipso monasterio Deo militare videntur, scilicet : in Sione villa mansum unum et casam, et in fine Rovorodinse terram arabilem et prata, et in Inwaldi villa mansos v, et in Villare mansum I, et alias res que aspiciunt ad eas, ad integrum, diebus vite illorum, cessimus per prestitum beneficium; et de Sancti Stephani dominicatis terris ancingas XII, et mancipia desuper commanentia, et alias quas beneficiavimus illi de ratione quam Angilmarus dedit ad partem Sancti Stephani in prefata villa Inwaldi villa, et in finibus Seroninsis mansos IIII cum terris et pratis, et in Patriniago mansum unum, cum terris et pratis et mancipiis supersistentibus, et quicquid ad easdem respicit, omnia perpetualiter. In eo namque tenore ista superius intimata sunt ut, diebus illorum vite, de datis et acceptis libero potiantur arbitrio, quiscumque superstiterit, absque contradictione supervenientium; censumque annis singulis dare studeant de argento solidos II, in festivitate sancti Gorgonii et in festivitate sancti Stephani solidum I; si vero de ipso tardi aut negligentes, propter aliquam incongruentiam, fuerint, redeat census ad propria; ipsi tamen non abducantur. Post excessum autem eorum, quando quidem

Deus statuerit, date et accepte, cum omni superposito, et absque diminutione aliqua, ad prescriptas ecclesias revertantur.

Ut autem firmiorem apud successores nostros hec precaria perpetuam obtineat stabilitatem, manu propria subter hanc assignavimus, anno ab incarnatione Domini D CCC XLIX, indictione xi, epacta xxiii, concurrente i, anno vero regni Lotarii imperatoris x, vii kalendas aprilis.

Drogo archiepiscopus

Ego Haltwinus, monachus et presbiter atque prepositus, subscripsi; Ego Wibertus, monachus et presbiter atque decanus; Ego Landoinus, monachus atque presbiter; Ego Waltarius, monachus atque presbiter; Bergerinnus, monachus atque presbiter; Elmunbertus, monachus atque presbiter; Eroinus, monachus et presbiter; Everus, monachus atque presbiter; Ragnerus, monachus atque presbiter; Seghardus, monachus atque presbiter; Budinus, monachus; Winemannus, monachus; Rodgangus, monachus; Rotbertus, monachus; Ellebaldus, monachus; Bovo, monachus.

53.

Varangéville, 849.

Drogon, archevêque de Metz, donne à un nommé Giroart des biens à Vic, appartenant à l'abbaye de Gorze, en échange d'autres biens à Varangéville.

Cartulaire, p. 71 et 72.

COMMUTATIO QUAM FECIT GIROARDUS.

In Dei nomine placuit atque convenit inter virum venerabilem domnum Drogonem, archiepiscopum necnon et sacri palatii archicapellanum, et aliquem hominem nomine Giroardum, ut aliquid de rebus eorum inter se comcambare deberent; quod ita et fecerunt. Dedit predictus Giroardus res suas in pago Calvomontinse, in fine Variniega vel in Waringinsi villa, ad partem cellule Sancti Gorgonii que est sita in ipso pago vel in ipsa fine, ubi domnus Drogo rector preesse videtur; hoc est in villa predicta mansos duos, et ad ipsos mansos pertinentes terras arabiles, ancingas XXI ad perticam mensuratas, que pertica habet in longum pedes XIX ad pedes mensuratos, et de prato ad fenum faciendum ancingas VIII ad ipsam perticam mensuratas, a die presenti, ut quidquid pars ecclesie predicte rectoresque ipsius exinde elegerint, faciendi libero in omnibus perfruantur arbitrio. Similiter econtra hujus rei recepit ipse Giroardus predictus, de ratione Sancti Gorgonii vel domni Drogonis, de rebus Sancti Magrani qui respicit ad predictam cellulam, in vico Bodesio sive Subteriori, mansos II ad ipsam perticam mensuratos, qui sic terminantur : de uno latere ratio Sancti Dionisii, de una fronte ratio Sancti Stephani, de alio similiter, de quarto caminus; est alius mansus et termi-

natur sic : de uno latere Anselardus tenet, de alio Mauricius, de tercio ratio Sancti Stephani, de quarto caminus; infra jam dictas terminationes ad integrum, et in ipsa fine Bodesiaga, de terris aratoriis ancingas XXI ad ipsam perticam mensuratas, et de prato ancingas VIII ad ipsam perticam. Ita ut ab hac die pars una ab altera parte quod accepit habeat, teneat atque possideat, vel quicquid exinde facere voluerit, liberam ac firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi. Quod si quis contra concambium istud venire conatus fuerit, ex partibus nostris inferat una cum cogente fisco auri libras V, argenti pondera XXX mulcta sustineat, et quod repetit evendicare non valeat, sed presens concambium firmum permaneat stipulatione subnixa.

Actum Warangisi villa, publice, anno quo supra.

† Giroart et Wandargarde, qui hoc comcambium firmare et fieri rogaverunt; † Haimonis; † Donamii; † Haigini; † Bernardi; † Hiladieri; † Bercrin; † Ratheri; † Evevardi; † Albrici. Ego Hildemannus et amanuensis rogatus scripsi.

54.

Beaumont, 851.

Drogon, archevêque de Metz, échange avec son vassal Adalsarus des biens de l'abbaye de Gorze à Arnaville, contre d'autres appartenant audit Adalsarus à Beaumont.

Cartulaire, p. 72-73. — Publ. dans les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 29.

De Monte Bibonis.

Inter quas utilitas temporalis rei assensum probet nobiles personas et innobiles, res aliquas, pro ambarum partium oportunitate, vicissim commutare, per scripturam

perstat confirmare. Unde et placuit inter domnum Drogonem, Mediomatricorum urbis archiepiscopum necnon et sacri palatii summum capellanum, et Alsaldum videlicet suum vassallum, ut res aliquas commutarent; quod et fecerunt. Dedit igitur Alsaraus, de ratione sue proprietatis, ad partem domni Drogonis, excellentissimi archiepiscopi, et sanctorum videlicet Stephani et Gorgonii, mansos duos in pago Wabrinse, in loco qui vocatur Bibonis monte, supra fluvium Orna, quorum terminatio a conpluribus noscitur, aspicientes ad eundem, de terra aratoria jornales quinquaginta sex, de silva ad saginandum porcos centum, et de minuta ubi potest stirpari ad jornales xxx, et de prato ad colligendum fenum karratas decem. Econtra dedit jamdictus domnus nobilissimus Drogo archiepiscopus, de ratione sedis sue sancte, almi videlicet Stephani ac sancti Gorgonii, prefato Adalsaro, in pago Sarminse, in villa Alnoldi, supra fluvium Magide, mansum unum, prout in determinationibus continetur, et vineam unam in eodem loco ad colligendum vinum modia quindecim, et farinarium unum super eundem fluvium. Aspiciunt ad ipsum farinarium de terra arabili jornales x; et de terra arabili aspicientem ad ipsum mansum jornales quinquaginta in totum; in prefato pago, de prato ad fenum colligendum karratas VIII. Ita vero hec superius comprehensa sunt, ut quicquid juste et rationabiliter pars alteri parti contulit, firmiter habeat, teneat atque possideat. Et ut firmiorem a successoribus deinceps haberet stabilitatem, de utrisque partibus placuit assignare, stipulatione subnixa.

Actum in Bebonis monte, anno ab incarnatione Domini DCCCLI, indictione XIIII, epacta XV, concurrente III, anno XII regni Lotharii.

Signum Adalsarai, qui hanc comcambationem fieri et firmare rogavit; S. Rothardi; S. Angilmari; S. Agrovini; S. Ragneri; S. Evrardi; S. Anselomi; S. Roberti; S. Manberti; S. Bertini; S. Gumberti; Signum Renchri; S. Erme-

nulfi; S. Frodoni. Ego Arlelcus, presbiter et emanuensis, scripsi.

55.

Fey, 8 juillet 856.

Anselomus, sa femme et son fils donnent à l'abbaye de Gorze tout ce qu'ils possèdent à Villecey et Dornot (?).

Cartulaire, p. 73 et 74.

Donatio quam fecit Anselomus.

Ego in Dei nomine Anselomus, et conjunx mea Erkensenna, et filius noster Hildoinus, pariter, pro Dei timoris intuitu, vel pro anime nostre remedio, seu et pro eterna retributione, per hanc cartulam donationis sive testamenti donamus ad sacrosanctum monasterium beatorum apostolorum Petri et Pauli vel sancti Gorgonii martyris Christi, ubi inclytus ac preclarus martyr Gorgonius in corpore requiescit, vel ad monasterium quod vocatur Gorzia, ubi in Dei nomine Bivinus abbas, vel cuncta congregatio monachorum preesse videtur, hoc est res nostras proprias in pago Scarponinsi, in fine Walcillea, et in fine Doniga; donamus de terra arabili ancingas tres, et de prato ad fenum colligendum carratas tres, condonamus, tradimus atque transfundimus perpetualiter in Dei nomine ad possidendum, ita ut ab hac die habendi, tenendi, dominandi, commutandi, vel quicquid exinde facere vel eligere voluerint, in omnibus habeant potestatem faciendi. Si quis vero (quod fieri minime credimus), si nos ipsi aut ullus de heredibus vel proheredibus nostris, seu quelibet alia opposita persona, contra hanc donationem venire temptaverit, aut eam irrumpere vel immutare voluerit, inferat partibus fisci juribus auri libram I, argenti pondera duo

mulcta componat, et quod repetit evendicare non valeat, sed presens donatio omni tempore firma et stabilis permaneat stipulatione subnixa.

Actum in villa cujus vocabulum est Fagido, in atrio Sancti Gorgonii, publice, anno ab incarnatione Domini DCCCLVI, indictione IIII, epacta XI, concurrente III, in anno primo post obitum Lotharii imperatoris, regnante filio suo Lothario rege, VIII idus julii.

Signum Anselomi, et conjugis sue Erkensenne, et filii eorum Hildoini, qui hanc cartulam sive testamentum fieri et firmare rogaverunt; Signum Teodini; S. Walieri; S. Martini; S. Adelradi; S. Herlomanni; S. Rothfridi; S. Ragnhardi; S. Ermenulfi; S. Everardi; S. item Ermenulfi; S. Everardi. Ego Godefridus, presbiter, rogatus scripsi et subscripsi.

56.

856.

Anselomus, sa femme et son fils reconnaissent tenir en précaire de l'abbaye de Gorze divers biens à Villecey, Scy, Lironville (?), etc., dans le Scarponais.

Cartulaire, p. 74 et 75.

Ejusdem precaria.

Domino sancto et in Christo venerabili Bivino, abbati, una cum illis fratribus qui in Gorzie monasterio consistere videntur, Anselomus, et conjunx sua Erkensenna, et filius noster Hildoinus, pariter precatores. Cognoscatis, dum et omnibus non est incognitum, qualiter nos donamus res nostras in pago Scarponinsi, in fine Wallea et in fine Didoniga; donamus de terra arabili ancingas tres, et de prato ad fenum colligendum karratas tres, ad ipsum prefatum monasterium sanctorum Petri et Pauli et sancti Gorgonii, quod est constructum super fluvium Gorzie, condonamus,

tradimus atque transfirmamus. Postea nostra fuit peticio, et vestra habuit benivolentia, ut ipsas res, et alias sancti Petri et sancti Gorgonii, que sunt in ipso pago Scarponinse, vel in fine Ceiensis, vel in ipsa villa, et in Letranno fine, et ad Waleburas, et in fine Ridercea vel Riwelcea; inde sunt tam mansis, casticiis, pratis, campis, pascuis, silvis, et vinea una ad Siag, ipsas res superius nominatas, vos nobis beneficiare deberetis; quod ita et fecistis, in ea vero ratione ut, quandiu nos advivimus, vel qualis pari suo superstes fuerit, per vestrum beneficium seu successorum vestrorum, diebus vite nostre, valeamus excolere vel usare, et nullum exinde in quibuslibet rebus vel corporibus pontificium habeamus aliquid minuendi, nisi quicquid ibidem addere aut immeliorare vel adtrahere potuerimus. Post nostrum quoque discessum, quando quidem Deus voluerit, ipse res immeliorate, absque ullius contradictione vel judicis assignatione, ad ipsum monasterium jam dictum Gorzia omnimodis revertantur. Et convenit in censum annis singulis ad festivitatem sancti Gorgonii, quod est v idus septembris, de argento denarios xii dare faciamus; et si de ipso censu tardi aut negligentes apparuerimus, fidem exinde faciamus. Et ipsas res quandiu advivimus, vel qualis parem suum supervixerit, valeat excolere vel usare.

Facta precaria anno quo supra, et idem testes qui supra.

57.

Gorze, 857.

Fredaluus et sa femme Blitgia donnent à l'abbaye de Gorze leurs biens de Buret et Beney (?).

Cartulaire, p. 75 et 76.

Donatio quam fecit Fredalous.

Nos itaque Fredalous et conjunx sua Blitgia pariter

cogitavimus, pro animarum nostrarum remedio, seu et pro eterna retributione, ut veniam de peccatis nostris consequi mereamur in futuro, donamus res nostras donatumque in perpetuum esse volumus, et promptissima voluntate confirmamus ad partem sancti Petri vel sancti Gorgonii, vel ad monasterium quod vocatur Gorzia, ubi Bivinus comes atque abbas, necnon et Landoinus prepositus preesse videntur, vel cuncta congregatio monachorum fungunt officio, hoc est res nostras in pago Scarponinsi, in fine Buricensi, in ipsa villa cujus vocabulum est Buriago, mansum unum; qui mansus determinatur sic : de uno latere ratio Sancti Stephani, de alio latere Octulfus tenet, de una fronte caminus est, de alia vero fronte Magdis fluvius currit; inter istas determinationes totum ad integrum; ad ipsum mansum aspicientes de terra aratoria jurnales xxx; et in fine Betoniaga, de prato ad fenum faciendum carradas tres; et in ipsa fine Betoniaga vineam unam que vocatur in Haldin vineas, ubi possunt colligi de vino modii xxx, et mancipia duo his nominibus : Ramenger et Lanthagd. Ista omnia superius nominata, ut quicquid pars ipsius monasterii exinde elegerit, liberam in omnibus habeat potestatem faciendi. Si quis vero, nos ipsi aut ullus de heredibus nostris, contra hanc donationem sive testamentum venire temptaverit, aut eam infringere voluerit, inferat ei contra ipsam casam Dei et sancti Petri vel sancti Gorgonii, vel costores ecclesie, auri libram unam, argenti pondera II mulcta sustineat, et quod repetit evendicare non valeat; sed donatio ista firma permaneat stipulatione subnixa.

Actum Gorzie, in atrio Sancti Petri et Sancti Gorgonii, publice, anno ab incarnatione Domini DCCC LVII, indictione V, epacta XXII, concurrente IIII, anno II Lotharii regis.

Signum Fredaloi et conjugis sue Blitgiane, qui hoc testamentum fieri et firmare rogaverunt; Signum Rangefridi, filii eorum, consentientis; S. Elpaldeenti; S. Bornone;

Signum Anselomi advocati; S. Belegrim; S. Adelsaroi; S. Rudrig; S. Robert; S. Riquien; S. Bertranni; S. Altaivii; S. Blither; S. Gumbert; S. Guntelin; S. Feremunt; S. Radaldi; S. Beton. Ego Godefridus, presbiter, ex premisso Hagmerigi, emmanuensis rogatus scripsi et subscripsi.

58.

Gorze, 857.

Fredaluus et sa femme Blitgia reconnaissent tenir en précaire, de l'abbaye de Gorze, les biens qu'ils lui ont donnés à Buret, Beney (?) et Rembercourt, dans le Scarponais, ainsi que d'autres biens à Augny, Bertrange (?), etc., dans le pays de la Moselle.

Cartulaire, p. 76-78. — Publ. dans les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 31.

Ejusdem precaria.

Venerabili in Christo Bivino, comiti atque abbati de monasterio sancti Stephani et sancti Petri vel sancti Gorgonii, vel illis fratribus qui in Gorzie monasterio consistere videntur, Fredalous et conjunx sua Blitgia pariter precatores. Cognoscatis, dum et omnibus non est incognitum, qualiter res nostras in pago Scarponinse, in fine Buriciaga, vel in ipsa villa Buriago, mansum unum; ipse mansus habet determinationes de uno latere ratio Sancti Stephani, et de alio latere Octulfus tenet, de una fronte caminus, de alia vero fronte Magdis fluvius currit; inter istas terminationes totum ad integrum, et ad ipsos mansos aspicientes de terra aratoria jornales xxx; et in fine Betoniaga vineam unam que vocatur in Hatoino vineas, ubi possunt colligi de vino modii xxx, et mancipia duo his nominibus : Ramenger et Lanthagd, ad partem ipsius

monasterii sancti Petri vel sancti Gorgonii donavimus vel affirmavimus. Postea nostra fuit peticio, et ipsius Bivini comitis atque abbatis vel omnium fratrum qui in Gorzie monasterio adsistunt fuit voluntas, ut tam ipsas res quas nos modo donavimus, et mancipia, et alias res quas nos ad tempus Aldini abbatis condonavimus, et mancipia in pago Mislinse, in villa Aviniago, mansos duos, et vineam unam, et terras, et prata, et silvas ad ipsos mansos aspicientes, ita et mancipia vi, et in alio loco quos nos ipsi ad ipsam casam Dei ad tempus Drogonis condonavimus vel affirmavimus, hoc est in pago Scarponinse, in fine Ragemberciaca, mansos IIII, et farinarium dimidium, et vineas, et terras aratorias, et prata et silvas, quicquid in ista fine et in aliis finibus nos antea condonavimus ad ipsam casam Dei, et res, et mancipia, et quicquid genitrix mea Osianna per prestariam habuit in pago Muslinse, in fine Archesingas, et in Sesmeringas, et in Bertmeringas, vel in ipsas villas, tam mansis, campis, pratis, pascuis, vineis, silvis, cultis et incultis, aquis aquarumve decursibus, et mancipia desuper commanentia vel aspicientia, et in Baldofo villa mansos duos, et terram, et prata, et silvas ibidem aspicientes, et mancipia ibidem commanentia vel aspicientia, et quicquid ibidem de indominicato habet, et terram, et prata et silvas, totum in integrum mihi Fredaloo, et uxori mee Blitgiane, et filio meo Ramgefrido, sub usu fructuario ordine nobis beneficiare deberetis; quod ita et fecistis, in ea vero ratione ut, quandiu advivimus et utrumque pari suo supervixerit, ipsas res et mancipia, quicquid nos ad ipsam casam Dei condonavimus, et alias res quas vos nobis beneficiatis, valeat excolere vel usare, et nullum exinde habeamus pontificium aliquid minuendi nec alienandi, nisi quicquid ibidem addere aut immeliorare potuerimus. Post nostrum quoque discessum, quando quidem Deus voluerit, ipse res et mancipia cum omni supraposito, absque ullius contradic-

tione vel judicis assignatione, ad partem sancti Gorgonii omnimodis revertantur; et censum annis singulis ad festivitatem sancti Gorgonii, quod est v idus septembris, de argento solidos IIII dare faciamus; et si de ipso censu negligentes aut tardi apparuerimus, contra ipsam casam sancti Petri vel sancti Gorgonii, vel costores, fidem faciamus, et de ipsis rebus ejecti esse non debemus.

Facta precaria in atrio Sancti Petri Gorzie, anno quo supra.

59.

858.

Adventius, évêque de Metz, donne à l'abbaye de Gorze, pour les autels de la sainte Vierge et de saint Gorgon, les biens qu'un nommé Alledeus tenait en précaire à Jonville (?), Xonville, Novéant-sur-Moselle, Arnaville et Scy.

Cartulaire, p. 78-80. — Publ. dans les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 32.

In Noviant et in Odonis villa.

Sancta mater ecclesia divinis atque apostolicis oraculis salubriter ac fideliter in ipso suo initio instituta, que nichil proprium noverat habere, sed suis filiis spiritualiter largiflue karitatis saluberrimam communionem pro exemplo proposuit, immo omnibus ortodoxis, atque patribus, atque ecclesiarum Dei cultoribus veneranda ac recolenda multipliciter exempla reliquit, videlicet ut de his que christianissimi principes, ac ceteri Dei cultores, animarumque suarum devotissimi procuratores sacris locis in cultu divine religionis dicatis contulerunt, rectores ecclesiarum, perspecta uniuscujusque loci sancti necessitate, sub unius regiminis cura atque unius sedis dignitate contigua sacris impertire non abnuunt altaribus, quia latitudo

caritatis illo extenditur ut sollicitudo omnium ecclesiarum modis omnibus procuretur. Idcirco ego, largiente divina clementia, Adventius nomine, non merito Mettensis ecclesie episcopus, pro divino intuitu, super aram sancte Dei genitricis Marie, seu almi Gorgonii, cujus oratorium in monasterium quod vocatur Gorzia, ubi sancti monachi in Dei nomine laudes persolvunt, quasdam portiones ex rebus ipsius sancti Gorgonii quas Alledeus dedit ad prefatam ecclesiam beati Gorgonii, seu accepit de rebus predicti sancti idem in pago Scarminse, in villa Caulido, et in villa Sumtonis, vel in eorum finibus, quicquid memoratus Alledeus per precariam tenuit, id est mansos, campos, prata, silvas, culta et inculta, et in altero loco, in villa Noviandum, dimidium mansum cum dimidia sorte, et in Ernaldo villa vineolam unam; de predicta precaria est in pago Metense, subtus villam Siago, vinea I, que habet terminationem de ambobus lateribus et ambabus frontibus ratio Sancti Stephani, tradere decrevi, videlicet ut, nostris futurisque temporibus, in augmento nostre mercedis custos ejusdem altaris easdem res in sua recipiat obedientia, scilicet ut, ob nostram memoriam, de fructibus ipsius, cotidiane oblationes ejusdem sancte Dei genitricis ac sancti Gorgonii are fideliter imponuntur et luminaria procurantur. Si quis vero successorum nostrorum (quod non optamus), aut forte principum, seu ulla umquam persona eandem oblationem seu procurationem, constituta luminaria nostra manu propria supra jamdictam aram impositam, ullo argumento aut violentia hujus auctoritatis paginam sciens abstrahere nisus fuerit, ut canonica liquido pandit auctoritas, inrevocabili anathemate feriatur. Et ut hec nostre traditionis auctoritas futuris temporibus inviolata permaneat, manu propria subter eam firmavimus.

Adventius, Mentensis episcopus; Ragimarius, abbas;

Hubaldus, primus cens.[1]; Hiltharius, corepiscopus; Merduvinus, decanus; Salomon, presbiter; Amalbertus, presbiter; Heldolfus, presbiter; Waldradus, presbiter; Atolio, decanus; Ragnarius, prepositus; Landovinus, monachus; Erlebaldus, monachus; Waltarius, monacus; Bergorinmus, monachus; Dodo, monachus; Bodo, monachus; Odelfridus, monachus; Bovo, diaconus; Hildigarius, d[iaconus]; Bertholfus, d[iaconus]; Nitcharius, monachus; Bertho, d[iaconus]; Adelherus, d[iaconus]; Waltarius; Arimodo; Anselmus; Rambertus †; Adowardus †; Ynargo †; Queldo †; Teufrido †; Walo †; Albricus †; Rotardus †; Rodulfus †; Rameradus †; Leuderus †; Bercaudus †; Fracmarus †.

Actum anno ab incarnatione Domini DCCCLVIII, indictione vi, epacta iii, concurrente v, anno iiii Lotharii junioris.

60.

Metz, 863.

Adventius, évêque de Metz, réforme l'abbaye de Gorze, qu'il remet dans son ancien état, et prescrit des mesures pour éviter de nouvelles aliénations de ses biens.

Cartulaire, p. 80-83. — Publ. par D. Calmet, *Hist. de Lorraine*, II, col. cxxxvii.

PRIVILEGIUM DONNI ADVENTII EPISCOPI.

Pastoralis officii sollertia, dum circa custodiam crediti gregis invigilat, asperitatem persequentium sub ovina veste latentium sedare non trepidat. Qui enim vices Dei, regis eterni, suscipit, ut ejus nominis virtute personarum acceptio adnulletur, et inviolatum equitatis juditium roboretur,

1. *Sic* pour *Primicerius*.

profecto non oportet dissimulare libertatem veritatis, Domino dicente : « In mundo pressuram habebitis; sed confidite quia ego vici mundum. » Non levis est noxa peccatis communicare alienis. Hi qui sacris ecclesiarum sedibus president pro exaltatione commendate rationis dignum est ut ingeniosa magne sollicitudinis cura excubent, quatinus spiritales oves absque ullius occasionis molestia sacram exibere miliciam valeant. Igitur Adventius, sancte et venerabilis Mettensium urbis sedis divini respectus gratia pontifex, circa vigilias plebis commisse diligenti mentis sagacitate desuflans, monasteria et predia ad magnificam preciossissimi Christi martyris Stephani aram aspicientia, que olim distracta fuerant, post transitum predecessoris mei Drogonis, recolende memorie archiepiscopi, non solum per firmitatem regalis edicti a precellentissimo rege Hlothario adeptam, verum etiam ex auctoritate synodice diffinitionis que in nostra sede, imperante summo et universali papa Nicholao, canonice celebrata est, in suo statu, Deo auxiliante, restituimus, ubi etiam mandata per legata Romane sedis accepimus, ut facultates rerum ecclesie nostre redintegraremus, sicut in eodem privilegio continetur, quod in eadem sancta synodo, juditio legatorum beatissimi pape Nicholai, et consensu episcoporum multiplicium regionum patratum est. Patet cunctis quantas ecclesia nostra scissuras pertulerit, cum monasteria secularium fuerint domicilia virorum, pene jam hereditas Dei suis nudabatur obsequiis, nefaria distribucione prevalente. Inter queque direptionis dispendia nobilius monasterium nostre dioceseos, quod super fluvium Gorzie fundatum est in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli et beati Stephani prothomartyris, ubi preclarum beati martyris Gorgonii corpus humatum tenetur, temporibus predicti antecessoris nostri, huc illucque rerum suarum scissionem pertulit, cum ipsius monasterii abba, nomine Haldinus, ab hac luce subtractus est, in tan-

tum quod sine dolore proferre nequimus, ut vix sacrum monachorum agmen victus necessitatem haberet. Sed cum jam laicalibus deservire imperiis predictum locum Hlotharius rex censuit, Bivino cuidam comiti illud committens, paulatim deficientibus alimentorum et tegumentorum solaminibus regularis observatio minuebatur, religio monastica infirmabatur, ecclesie nulla ornatus gratia decorabantur, ipsaque altaria pluviis et nuditatibus aspernabantur. His lamentationum singultibus lacessitus, cum propheta hejulabam, « Quis, inquiens, dabit capiti meo aquam et occulis meis fontem lacrimarum; et flebo populum meum die ac nocte. » Nam quia instantia mea cotidiana erat sollicitudo monasterii predicti, quod predecessores mei novo liberalitatis fundo ditaverunt, accessi ad gloriosissimum regem Hlotharium, et, expositis privilegiis et cartulis quibus sacer locus nitebatur, a potestate illicite dominationis eruere festinavi, ibique regularis observantie abbatem nomine Bettonem constitui, ut monachi, sue professionis non immemores, jugo Christi suavissimo colla flectere non ignorent. Nempe postquam dive recordationis predecessor meus Chrodegangus, archiepiscopus, jam dictum monasterium novo fundamine instruxit, usque ad detestandas preloquute calamitatis oppressiones, a regularibus abbatibus gubernabatur, possidentibus et dominantibus integritatem assequentium facultatum. Quapropter quia, Deo cooperante, ipsum cum omnibus ad se pertinentibus a ditione improbe devastationis liberavimus, decernimus cenobium Gorzinse in honore beati Petri apostoli et Stephani martyris, ubi inclitus martyr Gorgonius ammirabili virtutum laude choruscat, regulariter gubernari, ipsumque ac pristinam omnium rerum suarum redintegrationem Bettoni abbati et successoribus suis perpetim disponimus obtinendum, ea ratione ut quando viam universitatis aliquis abierit, noster vassallus aut aliqua persona qui beneficia de rebus supradictis habent, filii

eorum et propinqui, ut non optineant ea omnimodis interdicimus, sed absque mora, sine ullius contradictione, ad Bettonem abbatem et ad successores ejus ac ad monachos, qui ibidem Deo militant, redeant. Si vero interim locus evenerit ut de nostro indominicato, aut de rebus quas adhuc multi per nostrum beneficium retinent, commutare oportune possimus, dabimus de nostro ut restitutio sancti Petri rerum integra perseveret. Prestarias autem et commutationes previdеat predictus abbas cum monachis sibi commissis, et quod utile judicaverit faciat. Cappellas villarum et dotalicia in antiquum statum reformamus, ut, sicut fuit temporibus Theomari, ejusdem loci abbatis, ita necessitatibus fratrum deservire faciat. Familia vero ejusdem cenobii eo servitutis obsequio quo fuit priscis temporibus in eo permaneat. Ad ultimum vero humiliter preobtamus ut, eodem honoris privilegio, locus prenominatus perseveret cum omnibus appendiciis suis, quo continetur in decretis predecessorum meorum. Predia villarum que comparata sunt, vel a nobilibus viris donate sunt vel erunt, usibus et dispositionibus abbatis et monachorum perpetualiter subdantur, ut spiritalia et temporalia habeant sufficienter, et Deo in perpetuum placeant. Si vero ipse aut aliquis successorum nostrorum, cum divino intuitu, pro reverentia Dei et sanctorum patrociniis in predicto loco locatis, et anime nostre remedio, in perpetuum manendum censemus, irritum duxerit, aut in aliqua parte infirmaverit, sciat se terribilem rationem redditurum in die tremendi examinis pro sacrilego ausu, cum Dominus, justissimus judex, ad judicandum venerit et dignum unicuique facto remunerationem attulerit. Ut autem hoc firmitatis nostre decretum perpetuo tempore servetur et a nullo immutetur, manus proprie conscriptione immutabiliter censuimus.

Adventius, sancte Mediomatricensis ecclesie episcopus, hujus ecclesiasticarum rerum privilegii restitutionem manu

propria firmavi, ac roborandam omnium successorum nostrorum per Christum manibus exoro et humiliter exposco.

H[unc] anno ab incarnatione Domini DCCCLXIII, indictione XI, epacta XXVIII, anno VIII Lotharii junioris, Mettis, presentem patrationis sue dictatum de integra restitutione suarum rerum, monasterium beati Petri apostoli et sancti Gorgonii martiris optinuit, sicut auctoritas excellentissimi pape Nicholai per legatos suos in eadem urbe determinavit, et in privilegio Sancti Stephani continetur.

61.

3 novembre 864.

L'abbaye de Prum donne à celle de Gorze des biens à Klüsserath, dans le pays de Trèves, en échange d'autres appartenant à l'abbaye de Gorze dans la ville de Metz.

Cartulaire, p. 83-85. — Publ. dans les Preuves de l'*Histoire de Metz* des Bénédictins, III, 33.

COMMUTATIO QUAM FECERUNT ANSBALDUS, PRUMENSIS ABBAS, ET BETO, ABBAS GORZIENSIS.

Ordo rationis jure expostulat ut quotiens mundanarum rerum probabilis commutatio certum obtinere nititur tramitem, adhibita inviolabilis caritatis exhibitione, illud quod invicem largiflua caritas impertiri non abnuit scriptis omnimodis roboretur; unde et quod prudentissima sanxit antiquitas nec minus fragilioris evi posteritas, hoc idem inconvulsa apicum adnotatione firmare satagit, quamvis rationabiliter collata nulla postmodum possint rerum varietate turbari. Quamobrem placuit atque convenit inter venerabilem virum Ansbaldum, monasterii Prumiensis abbatem, et virum illustrem Bettonem, Gorziensis monasterii abbatem, per licentiam domni Lotarii regis, ut quasdam res inter se commutarent; quod ita et fecerunt. Dedit

igitur Ansbaldus predictus abbas jam fato Bettoni abbati, ad partem ecclesie sancti Petri vel sancti Gorgonii, ex ratione monasterii Prumiensis, in pago Treverensi, in villa nuncupante Cluserado, vineam I, que habet in longum pertigas XVI, in latus perticas IIII et pedes X, sub his terminationibus : in latere uno ratio Sancti Villibrordi, in alio Sancti Simphoriani, et in una fronte fluvius Mosella, in alia nos ipsi donatores. Et econtra in recompensationem dedit prefatus venerabilis Betto abbas jam fato Ansbaldo abbati, ad partem ecclesie sancti Salvatoris Prumiensis monasterii, per licentiam domni Adventii, Mediomatricorum episcopi, mansum I de ratione sancti Petri vel sancti Gorgonii, infra Mettis civitatem, super fluvium Moselle, in regio qui dicitur Porto, qui habet in longum perticas VIII, et in una fronte perticas II et pedes V, et in alia perticas II et pedem I, sub his terminationibus : in una parte strata publica, in ambobus lateribus ratio Sancti Stephani; ipse mansus in una parte vadit usque ad mediam Mosellam. Ea vero ratione ut quicquid pars juste et rationabiliter alteri contulit parti, jure hereditario succedat, et de collatis unaqueque pars quicquid facere decreverit, videlicet vendendi, donandi, commutandi, in omnibus potiatur arbitrio. Si quis vero (quod fieri non credimus), si aliquis hanc commutationem violare temptaverit, auri libras VI persolvat, et quod repetit evendicare non valeat. Et ut hec commutatio omni tempore firma et stabilis permaneat, manu propria illam roboravimus, et manibus fratrum nostrorum roborari fecimus.

Facta commutatio publice, sub die III nonas novembris, anno ab incarnatione Domini D CCC LXIIII, indictione XII, anno VIIII regnante domno Lothario nobilissimo rege.

Ego Ansbaldus, Prumiensis monasterii abbas, hanc commutationem a me factam subscripsi. Ego Adalbertus levita subscripsi. Ego Frabertus monachus subscripsi.

Ego Odacrus presbiter et monachus subscripsi. Ego Wigo monachus subscripsi. Ego Willaicus subdiaconus et monachus subscripsi. Ego Filimarus presbiter subscripsi. Ego Beroldus monachus subscripsi. Ego Gawulfus presbiter subscripsi. Ego Ratgildus presbiter subscripsi. Ego Isnardus presbiter et monachus subscripsi. Ego Ermengaudus monachus subscripsi. Ego Zogono diaconus subscripsi. Ego Otgarius monachus subscripsi. Ego Abdo monachus subscripsi. Ego Beroldus indignus presbiter subscripsi. Ego Eigil peccator presbiter subscripsi. Ego Adalhardus subdiaconus subscripsi. Ego Odo monachus subscripsi. Ego Rodingus monachus subscripsi. Ego Gozhelmus monachus et subdiaconus subscripsi. Ego Adalbertus monachus subscripsi. Ego Hunfridus presbiter subscripsi. Ego Jonathas presbiter et monachus subscripsi. Ego Luiduinus monachus subscripsi. Ego Meginarius monachus subscripsi. Ego Grimuinus monachus subscripsi. Ego Hudo monachus subscripsi. Ego Herlebertus monachus subscripsi. Ego Folcuinus monachus subscripsi. Ego Adalbertus monachus subscripsi. Ego Wichardus monachus subscripsi. Ego Ymmo monachus subscripsi. Ego Wernarius, humilis levita, hanc commutationem jussus scripsi et subscripsi.

62.

864.

Adventius, évêque de Metz, approuve les donations de biens à Scy et Novéant faites à l'abbaye de Gorze par l'abbé Betto, et garantit à ladite abbaye la propriété des maisons que possédait jadis le clerc Rofridus.

Cartulaire, p. 85 et 86. — Publ. dans les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 34.

Cirographum Adventii episcopi de Sieio.

Virtutum meritis ecclesia choruscans venerande sobo-

lum propaginationi typica serere germina non desinit, et ne forte pastores pro dispensatione credita retente pecunie dampna patiantur, caulis dominicis celestis tritici pascua ferre suescunt; unde, non immemores sollicitudinis commisse super gregem Dei, vigilari contendunt ut visionis angelice claritudine solatientur. Idcirco Adventius, dum circa monasteriorum loca michi commissa frequenter invigilo, in cenobio pontificatus nostri, quod in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli constructum est super fluvium Gorzie, ubi ammirabili virtutum gloria vernat inclitus martyr Gorgonius, Bettonem disciplinis monasticis instructum abbatem regularem statui, qui beato agmini exhortamenta doctrine ostendens, ordinationi sue causas, sacris altaribus exhibitis et utilitatibus domesticis impensis, nostre auctoritatis serenitatis reverentia intonuit, quas gratantissime pro studio benivolentie ipsius suscepimus mansurumque in perpetuum volumus, sicut et illud quod, auctoritatis nostre testamento, anteriori tempore, sanctis ejusdem loci basilicis delegavimus. Dedit igitur predictus Betto ad sepulchrum beati Gorgonii martyris gloriosi Christi vineam I, que est in villa episcopii nostri nomine Siegio, ut in lumine et ornatu ejusdem ecclesie perpetuo tempore deserviat. Alteram vineam consistentem in wasatico ecclesie sancti Petri, cum servitore et superposito manso, et duos mansos in Novianti villa, cum duabus vineis, delegavit ad hospitalem pauperum. Duas etiam vineolas, que fuerunt in prestaria Rainramni, et quod Nevelungus dedit ad portam monasterii, largitus est. Quapropter, quia pro remedio anime nostre illud agere disposuit et honore concessi regiminis, semper hoc datum muneris auctoritati nostre sedis inviolabiliter manere decernimus, nostro cyrographo presentem roboramus conscriptionem. Mansiones etiam, que quondam Rofridi clerici fuerunt juxta sedem nostram, Bettoni abbati et suis monachis permanere statuo.

Adventius, sancte Metensis ecclesie episcopus, subscripsi. Betto abbas

Eodem anno quo supra.

63.

864 (?).

Beto, abbé de Gorze, renouvelle le précaire accordé par son monastère à Hildoinus, sur des biens à Corny (?), Lironville (?), Scy, etc.

Cartulaire, p. 86-88.

PRECARIA HILDOINI SUB ABBATE BETONE.

Oportunitas ecclesiastice amministrationis, non solum spiritalibus presidiis, verum etiam temporalibus auxiliis filiorum propaginem nutrire non desinit. Hi enim qui sub deprecatorio facto res ecclesiasticas expetunt, dantes proprietates rerum suarum, ut sub beneficio prestarie ipsas optineant, ut ecclesia ad quam respiciunt immelioretur, dignum est ut eis assensum prebeamus. Idcirco Beto, misericordie Dei abbas de monasterio sanctorum Petri apostoli et Gorgonii martyris, quod situm est in pago Scarponinse, super fluvium Gorzie, una cum congregatione monachorum ibidem Deo militantium, res ad predictum cenobium respicientes, sub nomine prestationis Hildoino, nobili viro, concessimus, in pago Scarponinse, in villa que dicitur Horneius, mansum cum aliquis edificiis, et terris arabilibus, et pratis, vel quicquid pater suus Anselomus et mater sua Ercheisimna ibidem per prestariam acceperunt. Permittimus etiam quicquid in Walciaga fine, et in Druiciaga fine, et ad Leutrano villa, et Walabu-

rias, pater ipsius et jam dicta mater per prestariam tenuerunt, tam terras arabiles quam etiam et prata et silvas. Insuper etiam concedimus ei vineam unam in villa que dicitur Siago, quam avus ejus Tancharius, et genitor Anselomus per prestariam tenuerunt. Et ipse dedit nobis, pro emelioratione ecclesiasticarum rerum, de terra arabili ancingam I, et pratum ad carradas II, et hoc ipsum ei concedimus. Ut vero hujus renovationis precaria, quam ei in tempore vite sue concedimus obtinendam, firmior permaneat, manus nostre subscriptione firmare censuimus et manibus fratrum nostrorum. Et convenit in censo annis singulis, ad festivitatem sancti Gorgonii, quod est v idus septembris, denarios de argento LX; nam de ipso censu, si tardus aut negligens apparuerit, cum lege restituat et ipsam precariam non perdat.

Facta prestaria anno primo Bettonis abbatis, indictione XI, regnante Lothario, serenissimo rege, anno ab incarnatione Domini quo supra.

Betto hoc prestarie beneficium consensi. Signum Atalni decani sub[scripsi]. S. Ragenarius prepositus sub[scripsi]. Sig. Robertus monachus. † Erlebaldi monachi. Signum Fredoni mon[achi]. † Adelradi mon[achi]. † Nodovet mon[achus]. † Fulquini mon[achi]. † Audrico mon[achus]. † Bovon levita. † Bodini mon[achi]. † Bebboni monachi. † Agiloni mon[achi]. Signum Ludovini mon[achi]; Waltarii mon[achi]. † Winemanni mon[achi]. † Bertulfi mon[achi] et diaconi sub[scripsi]. Signum Audulfi m[onachi]. † Signum Riebodi mon[achi]. † Berichoni m[onachi]. † Nicheri mon[achi]. Ego Hildigarus, humilis monachus, scripsi et



64.

Gorze, 868.

Amelricus et le prévôt de Gorze Waltarius, agissant au nom de son monastère, font un échange de biens à Hattonville (?).

Cartulaire, p. 88 et 89.

Commutatio inter Waltarium prepositum Gorzie et Amelricum.

Ordo rationis jure expostulat quociens mundanarum rerum probabilis commutatio certum nititur obtinere tramitem, adhibita inviolabilis caritatis exhibitione, illud quod invicem largiflua karitas impertiri non abnuit scriptis omnimodis roboretur; unde et quod prudentissima sanxit antiquitas nec minus fragilioris evi posteritas, hoc idem inconvulsa apicum adnotatione firmare satagit, quatinus rationabiliter collata nulla postmodum possint rerum varietate turbari. Quamobrem placuit atque convenit inter virum venerabilem Waltarium, prepositum Gorziensis monasterii, necnon et alium hominem nomine Amelricum, per licentiam et consensum domni Adventii, sancte Mettensis ecclesie venerabilis episcopi, atque omnis congregationis monacorum monasterii Gortiensis, ut quasdam res, pro ambarum partium oportunitate, inter se commutare deberent; quod ita et fecerunt. Dedit igitur supradictus Amelricus, de terra proprietatis sue, in pago Scarponinse, in fine vel villa Aconiaca, ad partem sancti Petri vel sancti Gorgonii atque fratrum, in longitudine perticas XX et II et pedes VIII, in una fronte perticas IIII, in alia fronte perticas II et pedes XV; et habet ipsa pertica in longitudinem pedes XX; que determinatur ita : de uno latere ratio Sancti Stephani, de alio latere Riwaldus tenet, de

una fronte Lambertus et Constantius tenent, de alia vero fronte Girbertus tenet; infra hanc determinationem totum ad integrum. Et econtra in recompensationem dedit prefatus Waltarius prepositus, ex ratione sancti Petri seu sancti Gorgonii, jam dicto Amelrico, mansum unum situm in pago Scarponinse, in Aconis villa, habentem in longitudinem perticas VI et pedes XI, de ambabus frontibus perticas VI, cum jam dicta pertica mensuratum, et terminatur sic : de uno latere et una fronte ipsius sancti Petri vel sancti Gorgonii atque fratrum, de alio latere Gauzfridus et Gautpertus et Harlandus tenent, de alia vero fronte caminus est; infra hanc terminationem totum ad integrum. Ea vero ratione ut quicquid pars juste et rationabiliter alteri contulit parti jure hereditario succedat, et de collatis unaqueque pars quicquid facere decreverit, videlicet vendendi, donandi, commutandi, in omnibus libero potiatur arbitrio. Si quis autem (quod fieri non credimus), si aliquis hanc commutationem violare temptaverit, aut eam inrumpere vel immutare conatus fuerit, auri libras duas persolvat, et quod repetit evendicare non valeat cum stipulatione subnixa.

Actum in Gorcie monasterio, publice, anno ab incarnatione Domini DCCCLXVIII, indictione I, epacta XXIII, concurrente IIII, anno XIII regnante domino nostro Lothario gloriosissimo rege.

Signum Amelrici, qui hanc commutationem fieri et firmare rogavit. S. Agnardi; S. Ansaldi; S. Rimberti; S. Girberti; S. Lamberti; S. Custantini; S. Evorini; S. Harlandi; S. Meregaudi; S. Johannis; S. Leuberti; S. Amantini; S. Barnefridi; S. Gatfridi; S. Geldini; S. Flotberti; S. Deorulfi; S. Aunulfi; S. Magnardi; S. Ofteri; S. Harmanni; S. Johannis; S. Odelgeri; S. Waini; S. Dominioni; S. Gauperti; S. Magenberti; S. Rotfridi; S. Ricfridi; S. Seranni; S. Martini; S. Acmeradi; S. Haginoni; S. Frehenberti; S. Eddoni; S. Gauzaldi. Ego Petrus, ad

vicem Bodini cancellarii, hanc commutationem scripsi et subscripsi.

65.

Gorze, 871.

Le prévôt de Gorze donne au chanoine Warranus un manse à Vittonville, en échange d'un pré au même lieu.

Cartulaire, p. 89-91.

Commutatio inter Bovonem prepositum et Warranum presbiterum.

Ordo rationis jure expostulat ut quotiens mundanarum rerum probabilis commutatio certum nititur obtinere tramitem, adhibita inviolabilis caritatis exhibitione, illud quod invicem largiflua karitas impertiri non abnuit scriptis omnimodis roboretur; unde et quod prudentissima sanxit antiquitas nec minus fragilioris evi posteritas, hoc idem inconvulsa apicum annotatione firmare satagit, quatinus rationabiliter collata nulla postmodum possunt rerum varietate turbari. Quamobrem, placuit atque convenit inter Bovonem, prepositum monasterii Gorzie, necnon et Wenrannum, presbiterum atque canonicum, per licentiam et consensum domni Adventii, sancte Mettensis ecclesie venerabilis episcopi, atque omnis congregationis monachorum pariter monasterii sanctorum Petri et Pauli almique Gorgonii martyris, quasdam res, pro ambarum partium oportunitate, inter se commutare deberent; quod ita et fecerunt. Dedit igitur supradictus Bovo prepositus, de ratione sancti Petri seu sancti Gorgonii, mansum unum in pago Scarponinse, in Witone villa, habentem in longitudine perticas xx et dimidium, in alia fronte perticas vii et pedes vii, in alia fronte perticas viii et dimidium; et ipsa

pertica habet in longitudine pedes x et viii; qui mansus ita terminatur : de uno latere et una fronte ratio sancti Petri et sancti Gorgonii, in alio latere Martinus presbiter tenet, in alia vero fronte strata publica; infra hanc terminationem ad integrum. Et econtra dedit prefatus Wenrannus presbiter memorato Bovoni preposito, ad partem sancti Petri seu sancti Gorgonii, pratum i in ipso pago vel in jam dicta fine, in loco cui vocabulum est Galcia, habens in longitudinem perticas xxiiii, in una fronte perticas ix, in alia fronte perticas vii, cum jam dicta pertica mensuratum; quod terminatur sic : de uno latere ratio Sancti Petri Mettensis, de alio latere et una fronte ratio fiscalis, in alia vero fronte Erembertus cum heredibus suis tenet; infra hanc terminationem ad integrum. Ea vero ratione ut quicquid pars juste alteri contulit parti jure hereditario succedat, et de collatis unaqueque pars quicquid facere decreverit, videlicet tenendi, donandi, vendendi, commutandi, in omnibus libero potiatur arbitrio. Si vero (quod fieri non credo), si aliquis hanc commutationem violare temptaverit, aut eam imrumpere vel immutare conatus fuerit, auri libras duas ad partem predicte ecclesie persolvat, et quod repetit evendicare non valeat, sed commutatio ista omni tempore firma et stabilis permaneat cum stipulatione subnixa.

Actum Gorzie, in monasterio, publice, anno ab incarnatione Domini DCCCLXXI, indictione iiii, epacta xxvi, concurrente vii, anno ii post obitum Lotharii regis.

66.

Metz, 871.

Le prévôt de Gorze donne à Vulfridus un manse à Villers-lez-Rombas (?) en échange de deux autres à Moyeuvre.

Cartulaire, p. 91-93.

Commutatio inter Bovonem prepositum et Vulfridum.

Ordo rationis jure expostulat ut quoties mundanarum rerum probabilis commutatio certum optinere nititur tramitem, adhibita inviolabilis caritatis exhibitione, illud quod invicem largiflua karitas impertiri non abnuit scriptis omnimodis roboretur; unde et quod prudentissima sanxit antiquitas nec minus fragilioris evi posteritas, hoc idem inconvulsa apicum adnotatione firmare satagit, quatinus rationabiliter collata nulla postmodum possint rerum varietate turbari. Quamobrem, placuit atque convenit inter Bovonem, prepositum, et quemdam hominem nomine Vulfridum, per consensum et licentiam domni Adventii, sancte Mettensis ecclesie venerabilissimi episcopi, atque omnis congregationis pariter monachorum monasterii sanctorum Petri et Pauli sanctique Gorgonii martiris, ut quasdam res, pro ambarum partium oportunitate, inter se commutare deberent; quod ita et fecerunt. Dedit igitur nominatus Vulfridus, de rebus proprietatis sue, mansum unum, ad partem ecclesie Gorziensis monasterii vel ad ipsos fratres, in pago Moslinse, in villa cujus vocabulum est in Superiori Modover; habet ipse mansus in longum perticas xxxi, in latum perticas x, et terminatur ita : de uno latere ratio sancti Gorgonii, de altero latere Hildowidis tenet, de una fronte Gundomus habet, de altera vero fronte via regia est; ipsam terminationem ad integrum; et in Subteriori Modover alterum mansum habentem in longitudine perticas xiiii, in latitudine perticas viii; habet ipsa pertica pedes ix; ipse mansus habet terminationem : de uno latere et una fronte Ratbertus videtur habere, de altero latere ratio fiscalis, de altera vero fronte ratio sancti Gorgonii; infra hanc terminationem ad integrum; respicit ad ipsos mansos de terris arabilibus ancingas viii et dimidium, de prato ad fenum colligendum perticam i; habet in longum perticas xxx, in latum i, de silva

ad saginandum porcos ancingas VII; hec omnia superius intimata, totum et ad integrum, sunt simul in terris et pratis et silvis ad ipsos mansos aspicientes, ancingas XVI. Econtra vero dedit prefatus Bovo, prepositus Gorziensis monasterii, nominato Vulfrido, de ratione sancti Petri vel sancti Gorgonii mansum unum in ipso pago Moslinse, in altero loco, in villa cui vocabulum est Villare; habet in longitudine perticas XXX, in latitudine in una fronte perticas IX et dimidium, in altera vero fronte perticas XI et pedes IIII, ad jam dictam perticam, et terminatur sic : de uno latere habet Gifardus, de altero latere Ruibaldus tenet, de una fronte Modoinus et Anstrudis cum illorum heredibus videntur habere, de altera vero fronte strata publica est; infra istam terminationem totum ad integrum; aspicit ad ipsum mansum de terra arabili anzingas XI, de prato ancingam I; istas res superius nominatas totum ad integrum; ea vero ratione ut quicquid pars juste et rationabiliter alteri contulit parti jure hereditario succedat, et de collatis unaqueque pars quicquid facere decreverit, videlicet vendendi, donandi, commutandi, in omnibus libero potiatur arbitrio. Et si aliquis hanc commutationem violare temptaverit, auri libras VI persolvat, et quod repetit evendicare non valeat. Et ut hec comutatio omni tempore firma et stabilis permaneat, manu propria illam roboravimus et manibus aliorum hominum roborari fecimus.

Actum Metis, publice, anno quo supra.

Signum Vulfridi, qui hanc commutationem fieri et firmare rogavit; Signum Agnardi; S. Gifardi; S. Herchenridi; † Ermenuri; † Desiderii; † Rimberti; † Gunlardi, † Hicleranni; † Hiteri; † Optadi: † Leugerii. Ego Gundelaus, infimus presbiter, scripsi et subscripsi et subscripsi (*sic*).

67.

29 octobre 875.

Erembertus, sa mère et ses frères donnent à l'abbaye de Gorze divers biens à Sponville.

Cartulaire, p. 93 et 94. — Publ. dans le *Bulletin de la Société d'archéologie lorraine,* III, 266.

DONATIO QUAM FECIT HEREMBERTUS IN CIPPONIACA VILLA.

Oportet itaque christianos viam veritatis eligere, ut devotio pertineat ad mercedem, et oblatio perveniat ad salutem. Propterea, ego Erembertus, et mater mea Godena, fratres quoque mei Magenerus et Adelhardus donamus res nostras, pro animabus nostris, sive etiam pro rebus sancti Petri vel sancti Gorgonii, ad usum fructuarium adquirendas, quas pater meus tenuit in precaria in pago Scarponinse, in fine Cypponiaca, in loco nuncupante Feo monte. In ipsa quoque fine Cipponiaga donamus res nostras, sicut ipsi custodes per mensuram de manibus nostris susceperunt, in loco qui vocatur in Pradilo campum, et pratum in alio quoque loco qui dicitur in Stirpo, in tercio loco nuncupante in Calvino, in quarto loco in Dodono campo. Donamus etiam pratum ad Oron, similiter in alio loco pratum in Fraxinido, in tantum ut ab hac die ipsa ecclesia vel ipsi custodes habeant potestatem tenenendi (*sic*), commutandi, vel quicquid ad augmentum eorum facere voluerint, liberam ac firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi. Si quis vero (quod fieri non credo), si ego aut ullus de heredibus nostris contra hoc testamentum venire temptaverit, aut infrangere voluerit, ei non liceat stipulatione subnixa.

Actum in atrio Sancti Laurentii, IIII kalendas novembris, anno VI regnante Karolo rege, post decessum Lotarii junio-

ris, in Francia, anno ab incarnatione Domini DCCCLXXV, indictione VIII, epacta XI, concurrente V.

Signum Heremberti et Godenane, Magneni, Hardebardi, qui hoc testamentum fieri rogaverunt; S. Wadegrinni; S. Gisoni; S. Allefridi; S. Rageneri; S. Ansuidi; S. Ricmanni; S. Enweni; S. Gundrici. Ego Anglevertus, ex precepto Winigisi rogatus et emmanuensis, scripsi et subscripsi.

68.

Metz, 876.

Louis le Germanique donne à l'abbaye de Gorze la villa de Moivron, avec l'église et tous les manses qui en dépendent.

Cartulaire, p. 94 et 95. — Publ. dans les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 39. Cf. Boehmer-Muehlbacher, *Regesten des Kaiserreichs*, etc., I, 585.

CONFIRMATIO HLUDOICI REGIS DE POSSESSIONIBUS NOSTRIS ET DE MONTE VIRONIS.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Hludovicus, divina favente gratia, rex. Quicquid enim locis sanctorum venerabilium ibique Deo degentium fratrum ob amorem domini nostri Jhesu Christi pia devotione augmentamus vel confirmamus, hoc nobis procul dubio ad mercedem vel stabilitatem regni in Dei nomine pertinere confidimus, et profuturum nobis ad presentis vite curricula felicius transigenda, necnon et beatitudinis premia securius obtinenda non dubitamus. Quapropter comperiat omnium sancte ecclesie Dei fidelium nostrorumque presentium scilicet et futurorum industria, quod fratres ex cenobio sancti Petri necnon et beatissimi Gorgonii martiris eximii Christi, post obitum Adventii, episcopi, nostram adeun-


tes clementiam, reclamando innotuerunt quod substantia et victus illorum minus deerant necessaria; unde deprecantes nostram mansuetudinem ut, pro amore Dei et reverentia sanctorum inibi quiescentium, nostra largitate ex rebus ejusdem ecclesie aliquid restitueremus, et restituta in augmentum substantie, victus et vestimenti, pro remedio animarum antecessorum nostrorum, nostreque ac conjugis seu sobolum nostrarum, deinceps ad emolumentum proficerent. Quorum peticionibus aures misericordie nostre libenter assensum prebentes, quia ipsa ecclesia in nostris manibus habebatur, per consultum Bertulfi, Treverensis ecclesie venerabilis archiepiscopi, ceterorumque nostrorum fidelium, ad eorumdem fratrum usus concessimus, ac precepto auctoritatis nostre constituimus, hoc est, villam Monte Vironis, una cum ecclesia et mansis cum omni integritate ad ipsam villam juste pertinentibus, eo scilicet rationis tenore ut deinceps, nostris futurisque temporibus, potestatem habeant ipsi monachi de prefatis rebus ordinandi, legitimo dumtaxat jure, de suis usibus quicquid rationabiliter, una cum prelato, voluerint vel elegerint, et nulla regia vel episcopalis unquam potestas hoc nostre auctoritatis preceptum infrangere vel violare audeat, sed, ut superius dictum est, pro mercedis nostre augmento, ac genitoris sobolumque nostrarum, attentius Domini implorent misericordiam. Et ut hec nostre augmentationis confirmatio futuris temporibus firmior habeatur, manu propria nostra subter eam signavimus et firmavimus, et anuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Hludovici serenissimi regis. (*Monogramme.*)

Actum anno ab incarnatione Domini DCCCLXXVI, indictione IX, epacta XXII, concurrente VII, anno VIII regni Hludovici, serenissimi regis, in orientali parte Frantia regnantis.

Actum Metis civitate, in Dei nomine feliciter. Amen.

Lutdrandus, diaconus, ad vicem Luitherii, archicappellani, recognovi et



69.

874.

Walo, évêque de Metz, concède en précaire à Leutchardis et à ses enfants les biens qu'ils avaient donnés à l'église Saint-Étienne de Metz, à Ottange (?), Gandrange (?), Metzerwisse, etc. et d'autres biens encore à Nonsart.

Cartulaire, p. 95-97. — Publié dans les Preuves de l'*Histoire de Metz* des Bénédictins, III, 43.

WALO EPISCOPUS DE NOVO SARTO ET ALIIS LOCIS.

In nomine domini nostri Jhesu Christi. Walo, per misericordiam Dei sancte Mettensis ecclesie episcopus. Notum sit omnibus fidelibus sancte Dei ecclesie, tam presentibus quam et futuris, qualiter Leutchardis, Deo sacrata, necnon et filius suus Nithardus dederunt aliquid de rebus suis ad partem ecclesie sancti prothomartyris Stephani, que est infra murum Mettis constructa, hoc est : in pago Scarponinse, in comitatu Berneri, in villa Hodingas, super fluvium Alsoncia, mansum indominicatum, ad quem aspiciunt de terris arabilibus ad seminandum in unoquoque anno de annona modii CLX, prata ad fenum carratas C, cum

farinario uno, unde redditur in censum in unoquoque anno de farina modii xx, alios quoque mansos et sortes serviles ix in eadem villa, cum omnibus appendiciis, cultis et incultis, totum ad integrum; et in altero loco, in propinquo de illo manso jam dicto, super eundem fluvium, in pago Wabrinse, in villa Brancelingas, mansum et sortem ingenuilem i, in villa Gendingas, mansum et sortem ingenuilem i, et de farinario quartarium unum; in villa vero Fimerias, mansum et sortem ingenuilem i; in villa Wis, mansos et sortes ingenuiles ii; in villa Cavilliaca, mansum et sortem ingenuilem i, cum silva ad saginandum porcos c. Hec autem omnia superius nominata, cum omnibus appendiciis, ad partem prefate ecclesie tradiderunt atque transfunderunt in Dei nomine perpetualiter ad possidendum cum mancipiis lx. Postea vero illorum fuit peticio et nostra decrevit benivolentia, ut ipsas res quas ipsi dederunt, necnon et alias, in recompensationem hujus meriti, eis, Leutcharde videlicet, et filio ejus jam dicto Nithardo, atque uxori sue Belethrude, et filio ipsius Widerico scilicet, et equivoco ejus item Nithardo, beneficiare deberemus; quod ita et fecimus; hoc est : in pago Scarponinse, in Novo sarto nuncupata villa, mansum indominicatum cum omnibus appendiciis, et ecclesiam in eadem villa que est in honore sancti Apri dicata, et farinarios ii; alios quoque mansos et sortes inter ingenuiles et serviles xxiiii et dimidium, cum omnibus mancipiis et ceteris adjacentiis, terris scilicet arabilibus, pratis, silvis, pomiferis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, et quicquid ad ipsam villam aspicit, per omnia, totum cum integritate, absque ulla retractione, pro usu mercedis eis pariter beneficiamus; in ea vero ratione ut, dum ipsi advivunt, per beneficium nostrum seu successorum nostrorum ipsas res sub usu fructuario quieto ordine valeant habere et excolere, et fructus terre recipere, et nichil exinde habeant pontificium minuendi, nisi quicquid ibidem addere, vel augmentare,

vel emeliorare potuerint. Post discessum vero eorum, quandoquidem Deus voluerit, ipse res et mancipia, cum omni superposito, absque ullius contradictione vel judicis assignatione, ad partem prefate ecclesie omnimodis revertantur, et censum annis singulis ad festivitatem sancti Stephani, que est in crastino Natalis Domini, de argento solidos IIII persolvere studeant; si vero de ipso censu tardi aut negligentes apparuerint, cum legis beneficio hoc restituant et ipsam precariam minime perdant.

Facta precaria anno VI adeptionis regni Ludovici gloriosissimi regis.

70.

Gorze, 874.

Le prêtre Sicco donne à l'abbaye de Gorze divers biens à Flamersheim, Petershain et ailleurs, dans le pays de Worms.

Cartulaire, p. 97 et 98.

DONATIO QUAM FECIT SICCO PRESBITER IN PAGO WORMACIENSI.

In Christi nomine. Ego Sicco presbiter quondam, pro Dei intuitu, et pro anime mee remedio, seu et pro eterna retributione, dono a presenti die ecclesie sancti Petri et sancti Gorgonii, vel ad monasterium quod dicitur Gortia, seu ad fratres dominos meos, que est constructa in pago Scarponinse, hoc est res meas in pago Warmacinse, in villa Flamereshaym, idem mansum meum qui habet in longum perticas XVI, in latum perticas XIII, qui determinatur ita : de uno latere ratio sancti Petri de monasterio Wisemburho, de alio latere ratio sancti Gorgonii, de ambabus frontibus ego ipse teneo. Similiter dono alium mansum in ipsa villa, qui habet in longum perticas VI, in latum IIII; dono etiam vineam I ad ipsum mansum aspicientem, que habet in longum perticas XXX, in latum XIII,

de ambobus lateribus ratio sancti Gorgonii, de una fronte strata publica, et terram arabilem in ipsa villa vel in ipsa fine, jornalia XLI et dimidium; et in fine Hebisten jornalia XI, et pratum unum ubi habet jornalia VI; similiter, in fine Hemeresheim, jornalia V de prato; et ad Grethesheim jornale I de prato. Hoc est tam mansis, edificiis, terris, pratis, cultis et incultis, aquis aquarumve decursibus, quicquid in ipsa villa vel in jam dictis finibus visus sum habere, de qualicumque adtractu, sive de paterno vel materno, seu de comparato ad me legibus venit, totum in integrum, ad jam fatum monasterium trado atque transfundo. Similiter dono mancipia mea, servos et ancillas his nominibus : Amolum, Teutbaldum, Everadum, Betilonem, Tancradum, Arnustum, Odelricum, Ragnaldum, Leutsindam, Teutwidim, Biliardum, Albradam, Rothindim, Dimam, Teutardum. Similiter dono in Paternis villa casam meam, cum cellariis, et camberis, et orreis, et aliis edificiis bene ornatis. Ista omnia superius comprehensa de jure meo et potestate in jure ipsius monasterii vel ad ipsos fratres transfundo atque dono, ut omni tempore proficiat in augmentis. Si quis vero (quod fieri non credo), si ego aut ullus de heredibus meis, aut ulla opposita persona contra hanc donationem sive testamentum a me factum venire temptaverit, aut irrumpere vel immutare voluerit, in primis iram Dei omnipotentis incurrat et sancti Petri, insuper inferat ad partem ipsius monasterii cum cogente fisco auri libras III, argenti pondera VI, et quod repetit evendicare non valeat stipulatione subnixa.

Actum in Gorzia monasterio, publice, anno quo supra.

Signum Sicconis presbiteri, qui hanc donationem fieri et firmare rogavit; Signum Bertaudi ; S. Rothardi; S. Berneri; Sig. Herchemodii; Signum Amenulfi; S. Wiperti; S. Valo; S. Meraldi; Signum Agunaldi; S. Wichardi; S. Autberthi; S. Roberti; S. Adulfi.

71.

874.

Le prêtre Sicco reconnaît tenir en précaire de l'abbaye de Gorze les biens qu'il lui a donnés à Flamersheim, Petershain, etc., dans le pays de Worms.

Cartulaire, p. 98 et 99.

Precaria ejusdem.

Domino et sancto venerabili Bovoni, abbati, necnon fratribus qui in Gorzie monasterio consistere videntur, Sicco presbiter precator. Cognoscatis, dum et omnibus non est incognitum, qualiter ego donavi rem meam propriam in pago Warmocinse ad monasterium quod vocatur Gorzia, vel ad ipsos fratres, hoc est in villa Flameresheim, vel in fine Hebisten, et in fine Agretesheim, tam mansis cum edificiis, campis, pratis, vineis, et alia edificia in Patermis villa, servis et ancillis, quicquid visus fui habere in jam dicta loca, ad ipsum monasterium per meam cartulam condonavi. Postea mea fuit peticio, et Bovonis abbatis vel omnium fratrum decrevit voluntas, ut ipsas res quas ego dedi, et mancipia et alias res sancti Petri que sunt in ipso pago, vel in villa Flemereshaim, cum mansis, casulis, campis, pratis, vineis, mancipiis, michi beneficiare deberent; quod ita et fecerunt; in ea vero ratione ut, quandiu ipse vixero, per illorum beneficium seu successorum suorum diebus vite mee valeam excolere vel usare, et nullum exinde in quibuslibet rebus vel corporibus pontificium habeam aliquid minuendi, nisi quicquid ibidem addere, aut immeliorare vel adtrahere potuero. Post meum quoque discessum, quando quidem Deus voluerit, ipsas res immelioratas et ipsa mancipia, absque ullius contradictione vel judicis assignatione, ipsi monachi jure pro-

prio in suo dominio recipiant et ad jam dictum monasterium Gorzie omnimodis revertantur. Et convenit in censum annis singulis ad festivitatem sancti Gorgonii, que est v idus septembris, de argento solidos v dare et adimplere faciam; et si de ipso censu tardus aut negligens apparuero, fidem exinde faciam, sicut legis beneficium est, et ipsas res vel mancipia non amittam.

Facta precaria anno quo supra.

Signum Bovonis abbatis; Signum decani Optati; S. Raginarii presbiteri; S. Waltarii presbiteri; S. Teutmari presbiteri; S. Adelheri presbiteri; ✝ Ragnarii subdiaconi; S. Arimanni presbiteri; S. Odelfridi presbiteri; S. Barneri presbiteri; S. Winemanni presbiteri; S. Seguini presbiteri; S. Nicherii presbiteri; S. Fariulni presbiteri; S. Fulquini presbiteri; S. Richeri presbiteri; S. Audricii monachi; S. Godfridi presbiteri; S. Aldovini presbiteri; S. Agilii presbiteri; S. David diaconi; S. Soiperi diaconi; S. Sarowardi diaconi; S. Eremtis subdiaconi. S.

Ego Optatus, ac si indignus monachus et presbiter, scripsi et subscripsi.

72.

Metz, 10 mai 878.

Louis le Jeune restitue à l'abbaye de Gorze le domaine de Foug qui lui avait été enlevé.

Cartulaire, p. 99 et 100. — Publ. parmi les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 40. Cf. Bœhmer-Muehlbacher, *Regesten des Kaiserreichs*, etc., I, 604.

Preceptum Ludoici regis de villa Fao.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Lodovicus, divina favente gratia rex. Si liberalitatis nostre munere

res sancte Dei ecclesie, et loca divinis cultibus mancipata, per adpeticiones fidelium nostrorum nostro relevemus juvamine, atque regali tueamur munimine, premium inde apud Deum eterne remunerationis habere non diffidimus. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum presentium scilicet et futurorum industria, qualiter nos ob nostre mercedis augmentum, et dilecte conjugis nostre karissimeque prolis nostre, necnon et pro remedio animarum antecessorum nostrorum, augustorum videlicet imperatorum, et per peticionem Walonis, venerabilis Metensis ecclesie episcopi, quandam villam que vocatur Fao, in pago Bedense, et in comitatu Leuthardi, per nostre auctoritatis preceptum donamus et tradimus ad sanctum Gorgonium, que ante, per auctoritatem et donationem regum antecessorum nostrorum, ad eumdem Christi martyrem donata fuit, et postea injuste abstracta; ea videlicet ratione ut prefata villa, cum domibus, edificiis, pratis, pascuis, silvis, cultis et incultis, aquis aquarumve decursibus, exitibus et regressibus, et omnibus ad eam jure respicientibus, ad sanctum Gorgonium martyrem Christi, absque ullius persone contradictione, et absque ullius episcopii abstractione, causa alicui beneficiandi, firmiter permaneat et in perpetuum pertineat. Et ut hec auctoritas nostre concessionis firmior habeatur, et per futura tempora a fidelibus nostris credatur, verius et diligentius observetur, manu nostra propria subterfirmavimus, et anuli nostri impressione eam assignari jussimus.

Signum domni Lodovici, serenissimi regis. (*Monogramme.*)

Wolferus, cancellarius, recognovi et subscripsi.

Data VI idus maii, anno Dominice incarnationis DCCC LXXVIII, indictione XI, epacta XIIII, concurrente II, anno III regni Ludovici in Orientali Frantia regnantis.

Actum Mettis civitate, in Dei nomine feliciter. Amen.

73.

878.

Walo, évêque de Metz, avec le consentement de l'abbé et des moines de Gorze, donne à l'archevêque et aux chanoines de Sens la chapelle de Saint-Gorgon à Varennes, en échange de l'église d'Escherange, dans le pays de la Sarre.

Cartulaire, p. 100 et 101. — Publ. parmi les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 40.

De ecclesia quam in villa Ichilingas habere debemus.

Auxiliante domino nostro Jhesu Christo, placuit atque convenit inter venerabilem virum Walonem, Mettensis ecclesie episcopum, necnon et inter antistitem dominum Ansegisum, archiepiscopum, ut aliquas res inter se commutare deberent; quod ita et fecerunt. Dedit itaque venerabilis Walo episcopus, de parte sua, de ratione sancti Gorgonii monasterii, una cum consensu Bovoni, abbatis, et cuncte congregationis monachorum ex ipso monasterio, ad partem domni Ansegisi, archiepiscopi, et illorum canonicorum Sancti Stephani Senonice, ad illorum stipendia, cappellam I, que dedicata esse dignoscitur in honore sancti Gorgonii, que sita est in pago Senonico, in villa que dicitur Varonno, et quicquid ad ipsam cappellam aspicere vel pertinere videtur, ad integrum concedimus. Econtra ad vicem dedit domnus Ansegisus, de parte sua, de ratione Sancti Stephani vel de illorum canonicorum stipendiis, ad partem venerabilis Walonis episcopi, seu monasterii ipsius sancti Gorgonii, vel ad ipsorum monachorum stipendia, similiter ecclesiam I in honore sancti Petri et ceterorum sanctorum, in pago Saroense, in villa que dicitur Hicchiringas, quam Albertus et Dena pro animabus suis dederunt, et quicquid ad ipsam ecclesiam aspicere vel pertinere videtur, similiter omnia concedimus ad integrum,

ita ut ab hodierno die unaqueque pars stipendia vel res quas accepit habeat, teneat atque possideat, vel quicquid exinde a presenti die rectores ecclesiarum ipsarum facere voluerint, in omnibus habeant potestatem faciendi. Si quis vero (quod futurum minime arbitramur) extiterit, qui hanc commutationem utrisque partibus utilem infregerit aut destruxerit, cogatur jure equitatis persolvere argenti libras L conatusque ejus nullum obtineat effectum.

Walo, Mettensis episcopus, hanc commutationem a me factam relegi et subscribere jussi +. Bovo, abbas ex cenobio Gorziensi, conssensi et subscripsi. S. Waltarii monachi; Signum Aldini monachi; Signum Hildegarii monachi; Signum Racmarii monachi; Signum Erlebaldi monachi; Signum Fulquini monachi; S. Audrici presbiteri et monachi; S. Sequini monachi; S. Berichi monachi; S. Bodini monachi; S. Farnulfi monachi; S. Soiperi monachi; S. Luovini monachi; S. Aldoini monachi; S. David monachi.

Actum anno ab incarnatione Domini quo supra.

Walbertus, indignus levita, scripsit et subscripsit. Milo, vassus domni Walonis episcopi, hanc commutationem deportavit domno Ansegiso archiepiscopo.

74.

Metz, 880.

L'abbaye de Gorze donne à l'évêque de Metz, pour l'abbaye de Saint-Arnould, une vigne au Sablon, en échange d'un manse aux Thermes, dans la ville de Metz.

Cartulaire, p. 102 et 103. — Publ. dans les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 41.

COMMUTATIO INTER WALONEM, EPISCOPUM METENSEM, ET BOVONEM, ABBATEM GORZIENSEM.

Ordo rationis jure expostulat ut quotiens mundanarum

rerum probabilis commutatio certum obtinere nititur tramitem, adhibita inviolabilis karitatis exhibitione, illud quod invicem largiflua karitas impertiri non abnuit scriptis omnimodis roboretur; unde et prudentissima sanxit antiquitas nec minus fragilioris evi posteritas, hoc idem inconvulsa apicum adnotatione firmare satagit, quatinus rationabiliter collata nulla postmodum possint rerum varietate turbari. Quamobrem, placuit atque convenit inter domnum Walonem, sancte Mediomatricorum ecclesie venerabilem episcopum, et quendam abbatem suum, nomine Bovonem, necnon et fratres ex congregatione Gorziensis monasterii sancti Gorgonii, ut quasdam res inter se, pro ambarum partium oportunitate, commutare deberent; quod ita et fecerunt. Dedit igitur memoratus Bovo abbas, una cum fratribus jam dicti monasterii, predicto domno Waloni, ad partem ecclesie Sancti Arnulfi, ad suum indominicatum, de ratione sancti Gorgonii, in pago vel fine Mettense, in loco qui dicitur Savelonis, vineam unam que habet in longitudine perticas xv, in latitudine in una fronte perticas viii et pedes vi, in alia fronte perticas xi et pedes x, et terminatur sic : de uno latere est ratio Sancti Sinphoriani, de altero latere strata publica, de una fronte ratio Sancti Eusebii, de altera vero fronte Sancte Marie; ipsam terminationem totam ad integrum. Econtra vero dedit prefatus domnus Walo jam dicto Bovoni ac fratribus suprascripti monasterii, ad partem ecclesie sancti Gorgonii, de rebus ecclesie Sancti Arnulfi, mansum i infra murum Mettis civitatis, ad Termas vocato loco, qui mansus habet per unum latus perticas xi et pedes xiiii, per aliud latus perticas xii et pedes iiii, et in latum in una fronte perticas v et pedes iiii, in alia vero fronte perticas vii et pedes vii, et habet terminationem de uno latere et ambabus frontibus habetur strata publica, de altero latere tenet Otlindis; intra has terminationes totum ad integrum; ea scilicet ratione, ut a die presenti in futuro, quicquid pars

juste et rationabiliter alteri contulit parti jure hereditario succedat, et de collatis unaqueque pars quicquid facere decreverit, videlicet habendi, tenendi, commutandi, in omnibus libero perfruatur arbitrio stipulatione subnixa. Et ut hec commutatio omni tempore firma et stabilis permaneat, manu propria illam roboravimus, et manibus aliorum bonorum hominum roborari fecimus.

Actum Mettis, publice, anno ab incarnatione Domini DCCCLXXX, indictione XIII, epacta VI, concurrente V, anno V adeptionis regni domni Hlodovici, gloriosissimi regis.

Signum Bovonis, abbatis, qui hanc commutationem fieri et firmare precatus est. Ego Adelgarius, ad vicem Gundelaici, scripsi.

75.

Gorze, 884.

L'abbé et les moines de Gorze donnent au prêtre messin Werdingus un manse et des vignes à Ars-sur-Moselle, en échange de terres et de vignes à Arnaville.

Cartulaire, p. 103-105. — Publ. parmi les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 44.

COMMUTATIO INTER LODOINUM, ABBATEM GORGIENSEM, ET WERDINGUM PRESBITERUM.

Ordo rationis jure expostulat, ut quotiens mundanarum rerum probabilis commutatio rectum obtinere nititur tramitem, adhibita inviolabilis karitatis exhibitione, illud quod invicem largiflua karitas impertiri non abnuit scriptis omnimodis roboretur; unde et quod prudentissima sanxit antiquitas nec minus fragilioris evi posteritas, hoc idem inconvulsa apicum adnotatione firmare satagit, quatinus rationabiliter collata nulla postmodum possint rerum

varietate turbari. Quamobrem, placuit atque convenit inter Lodouinum, abbatem, ac fratres ex congregatione Gorziensis monasterii sancti Petri seu sancti Gorgonii, et quemdam presbiterum ex congregatione Metensis ecclesie Sancti Stephani vel Sancti Pauli, nomine Werdingum, ut per conssensum et licentiam domni Roberti, sancte Mettensis ecclesie venerabilis archiepiscopi, quasdam res pro ambarum partium oportunitate inter se commutare deberent; quod ita et fecerunt. Dedit igitur memoratus Lodouinus abbas ac fratres predicti monasterii jam fato Werdingo, de rebus sanctorum apostolorum Petri et Pauli almique Gorgonii, in pago et comitatu Mettense, in villa que dicitur Arx, hoc est de manso petiam unam habentem in longum perticas VII, in latum in una fronte perticas IIII et pedes XII; item in ipsa fine de vinea petias III, quarum una, que est juxta prescriptum mansum, habet in longum perticas VI et pedes IIII, in latum in una fronte perticas III et pedes X, in alia fronte perticas III et pedes V; alia vinea habet in longitudine perticas X, in latitudine in ambabus frontibus perticas II; tercia vinea habet in longum per unum latus perticas X, per aliud latus perticas XI, in ambabus frontibus perticas VII et dimidium; in summitate ipsius vinee, in parte unius frontis, de terra inculta perticam I; item in ipsa fine de terra aratoria perticam I, habentem in longitudine perticas XI, in latitudine autem perticas VI, in ambabus frontibus pedes XII; intra has predictas mensuras per omnia totum ad integrum. Econtra vero reddidit Werdingus presbiter, de rebus proprietatis sue, ad partem ecclesie beatorum apostolorum Petri et Pauli almique Gorgonii, Lodouino, abbati, ac fratribus predicti monasterii, in pago Scarponinse, in Alnaldi villa, vineam unam habentem in longitudine per unum latus perticas XI et dimidium, per aliud latus perticas XV, in latitudine vero in una fronte perticas VIIII, in alia fronte perticas VIIII et pedes VII; item in ipsa fine de terra arabili petias II, qua-

rum una habet in longitudine perticas xxxii, in latitudine in una fronte perticas ii et pedes xi, in alia vero fronte perticas ii et pedes viii; altera vero petia terre habet in longum perticas xv, in latum in una fronte perticas iiii et pedes xiii, in alia fronte perticas v et pedes xiiii; intra has predictas mensuras per omnia totum ad integrum; ea vero ratione ut, a die presenti in futuro, quicquid pars juste et rationabiliter alteri contulit parti jure hereditario succedat, et de collatis unaqueque pars quicquid facere decreverit, videlicet habendi, tenendi, vendendi, commutandi, in omnibus libero potiatur arbitrio. Et ut hec commutatio omni tempore firma et stabilis permaneat, manu propria illam roboravimus stipulatione subnixa.

Actum in Gorzie monasterio, publice, anno ab incarnatione Domini DCCCLXXXIIII, indictione ii, epacta xx, concurrente iii.

R[obertus], sancte Mettensis ecclesie humilis archiepiscopus, subscripsit. Lodouinus abbas subscripsit; Optatus decanus subscripsit; Seguinus subscripsit; Gonbertus primicerius subscripsit; Badicho abbas subscripsit; Moyses; Hildibrandus; Scrauto; Odelricus; Farnulfus; Godefridus; Erengus; Soypertus; Sarowardus; Harno; Gislebertus; Teudo; Wichadus; Anceclius; Barnerus; Audinus; Segoldo; Ragembaldus; Albricus; Genoz; Ernoldus; Sugerus; Odelricus; Aldricus; Lambertus; Evrardus; Hamedeus; Hildoinus; Haminus; Betto; Radouardus; Gisaldus; Aftagius; Wandelmarus; Uncrinus; Ricwoldus; Rotgerus; Goderannus. Ego Wichardus, ac si indignus sacerdos et monachus, hanc commutationem scripsi et subscripsi.

76.

Gorze, 885.

L'abbé et les moines de Gorze donnent à un nommé Barnardus divers biens à Jeandelize, en échange d'autres au même lieu et à Boncourt-en-Jarnisy (?).

Cartulaire, p. 105-107.

Commutatio quam fecerunt Watarius, prepositus Sancti Gorgonii Gorzie, et Bernardus.

Ordo rationis jure expostulat ut quotiens mundanarum rerum probabilis commutatio certum obtinere nititur tramitem, adhibita inviolabilis caritatis exhibitione, illud quod invicem largiflua caritas impertiri non abnuit scriptis omnimodis roboretur; unde et quod prudentissima sanxit antiquitas nec minus fragilioris evi posteritas, hoc idem inconvulsa apicum adnotatione firmare satagit, quatinus rationabiliter collata nulla postmodum possint rerum varietate turbari. Quamobrem placuit atque convenit inter venerabilem Erigaudum, abbatem, et Waltarium, decanum, seu Haleuingum, advocatum, et ceteros fratres qui in Gorzie monasterio consistunt, et aliquem hominem nomine Barnardum, ut aliquid de rebus suis inter se commutare deberent; quod ita et fecerunt. Dedit igitur Erigaudus abbas, seu Aleungus advocatus, et ceteri fratres, ad partem Barnardi, in pago Virdunense sive Wabrinse, in loco qui dicitur ad Gandrilisia, hoc est in Theutero prato, ancingam I, que terminatur ita : in duobus lateribus ratio Hunargi, in una fronte fluvius Orna currit, in alia vero fronte via publica; similiter in ipsa fine ancingas II et dimidium, et quartam partem de uno jornale de terra arabili, qui terminatur ita : de tribus partibus ratio Unargi, in quarta parte via publica; similiter in alio loco qui dici-

tur ad Fossatis juxta Hornam, de prato ancingam I et duas partes de jornali, qui terminatur in uno latere et una fronte ratio Hunargi, in alio latere Orna currit. Dedit in tertio loco, in ipsa villa vel in ipsa fine, de prato petiolam I, que habet in longum perticas XXVII, in latum perticas II, de prato indominicato; habet terminationes de uno latere et una fronte de ipsa ratione, de alio latere et una fronte Orna decurrit, et ibi consistit sclusa de farinario Hunargi; sunt in totum ancingas V, inter prata et campos. Econtra dedit jam dictus Barnardus Erigaudo, abbati, et Waltario, decano, seu Haleuingo, advocato, ad partem sancti Petri seu sancti Gorgonii, de rebus proprietatis sue, in pago Virdunense sive Wabrinse, in loco qui dicitur ad Bettonis curte, super fluvium Speona, id est mansum unum qui habet terminationem de uno latere et una fronte de ipsa ratione, de alio latere Widricus tenet, in una fronte Adela tenet; similiter in pago Wabrinse, in comitatu Virdunensi, in loco qui dicitur ad Gandrilisia, subtus basilica, videlicet de prato petiolam unam, que habet in longum perticas XXVIII, in latum perticas II; habet ipsa pertica pedes XX; habet terminationes de uno latere et una fronte est pratum indominicatum ex ratione sancti Petri et sancti Gorgonii, et de alio latere et alia fronte ratio Hunargi; hoc est omnem rem proprietatis sue, quicquid visus fuit habere et nepotes sui in ipsa villa Bettoniaca vel in ipsas fines, tam mansis, campis, pratis, silvis, pascuis, cultis et incultis, aquis aquarumve decursibus, totum ad integrum; sunt namque per numerum inter campos et prata ancinge VI et jornalia II et mansus I. Ea vero ratione ut unus quisque, quod accepit a pari suo, ab hodierna die habeat, teneat atque possideat, vel quicquid exinde facere elegerit, liberam habeat potestatem faciendi. Et ut hec commutationes, uno tenore conscripte, inviolabilem obtineant firmitatem, manu propria subscripsimus, et fratres nostros firmare rogavimus.

Facta commutatio in Gorzia monasterio, anno ab incarnatione Domini DCCCLXXXV, indictione III, epacta I, concurrente IIII, anno VII regnante Karlo imperatore, filio Lodovici regis.

† Waltarus decanus; Ragnerus †; Winemannus †; Fulquinus †; Adelherus †; Optatus †; Harimannus †; Barnerus †; Siguinus †; Farnulfus †; Ratcherus †; Godefridus †; Agilus †; David †; Soiperus †; Sarowardus †; Erencus †; Lodowinus †; Arno †; Gislebertus †; Anglevertus †; Teudo †; Wichardus †; Ancedolius †; Radowardus †; Agredus †; Barnerus †; Audinus †; Adelmodus †; Segerannus †; Ardowicus †; Wacherus †. Ego Ratcherus, monachus, hanc commutationem scripsi et subscripsi.

77.

Metz, 886.

Robert, évêque de Metz, approuve la fondation par l'abbé de Gorze, à la demande d'un nommé Bivinus, d'une chapelle à Doncourt, qui ne sera qu'une dépendance de l'église de Labeuville (?).

Cartulaire, p. 107 et 108. — Publ. parmi les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 47.

Carta Roberti, Mettensis episcopi, de capella in Dodonis curte.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Robertus, sancte Mettensis ecclesie humilis episcopus. Notum sit cunctis sancte Dei ecclesie fidelibus, tam presentibus quam et futuris, qualiter quidam vir nobilis, Bivinus nomine, nostram expetiit benivolentiam quatinus, per nostram licentiam et in villa que dicitur Dodonis curtis, quoddam liceret construere oratorium, quia ob difficulta-

tem prolixi itineris, quod est inter dictam villam et Berulfi villam, que est super rivulum Senode, ubi decime erant ex prescripta villa subjecte, ei suisque tedium erat ire, et ipse ex suo ad illud dotalitium dare. Nos quoque super hoc Lodouini abbatis, qui his temporibus abbatiam Gorziensem tenebat, cui ipsa ecclesia que est in Berulfi villa habetur subjecta, discutientes voluntatem, quia suus erat consobrinus libenter consentiit, ita videlicet ut ipsa capellula, cum suo dotalitio, hoc est manso I cum jornalibus x in Belciardi curte, cum jacentibus et decimis, matri ecclesie, que est in prefata Berulfi villa, omni tempore fuisset subjecta. Nos siquidem utriusque consentientes voluntati, ut postmodum hec res inconvulsa maneret et stabilis, hoc memorie scriptum facere jussimus, et factum manu propria monogramma nostri nominis illud signavimus stipulatione subnixa.

Actum Mettis, publice, anno ab incarnatione Domini DCCCLXXXVI, indictione IIII, concurrente V, epacta XII, anno VIII regnante Karolo rege feliciter.

Robertus, sancte Metensis ecclesie humilis episcopus, subscripsit; † Gonbertus primicerius; † Lanfridus abbas; † Everi abbatis; Notingi abbatis; † Maintardi decani; † Geremanni cantoris; † Wilerdingi prepositi; † Ermenaldi presbiteri; † Segoldi comitis; † Amalrici; † Rainfridi; † Fulcherii; † Lodouini; † Bolonis; † Eilulfi; † Lafridi; † Leoderii. Ego Adelgarius, ad vicem Haldini abbatis, scripsi.

78.

Gorze, 886.

L'abbé de Gorze publie un jugement rendu à Vanault-le-Châtel à l'occasion de l'état d'une terre appartenant à Madelgerus, Officia et Hildebertus.

Cartulaire, p. 108 et 109.

Determinatio contentionis de terra Wasnau sub Fulchero abbate.

In nomine domini nostri Jhesu Christi. Notum sit omnibus fidelibus sancte Dei ecclesie, tam presentibus quam et futuris, qualiter Madelgerus, et Officia, et Hildebertus, ex familia sancti Petri et sancti Gorgonii, commoti fuerunt in placito ante Folcherum, abbatem, et Adelbertum, patrem ejus, de terra eorum, quod plus debuisset esse indominicata quam ad suam hereditatem esse. Illi vero, necessitate compulsi, venerunt ante domnum Folcherum et judicem nomine Scenulfum, et deprecati sunt misericordia Dei omnipotentis ut illis licuisset exinde examinare secundum legem; et permisit eis. Tunc venerunt in placitum coram Scenulfo judice, et Folchero abbate, et aliis bonis hominibus, in loco qui dicitur in villa Wasnou, et interrogavit Scenulfus judex Aldebertum que inde esset lex, et judicaverunt scabinii quod Tangelradus ad Dei judicium debuisset se examinare; quod ita et fecit. Et hoc judicaverunt scabinii quod super sanctas reliquias approbare debuissent; quod ita et fecerunt. Hec sunt nomina scabiniorum : Teuddinus, Tangelradus, Ragnowardus, Belloinus, Starcherus, Audricus, Ansericus. Hec sunt nomina eorum qui hec juraverunt : Heldefridus, Modelgerus, Motgerus, Agriericus, Ragnowardus, Annerus, Tangelradus. Obsecramus successores nostros, ob amorem Dei et reverentiam beati Petri, principis apostolorum, qui habet potestatem ligandi atque solvendi, ut nulla[m] inquietudinem vel contradictionem eis facere conentur, sed firmus et stabilis iste evindicatus omni tempore permaneat stipulatione subnixa.

Actum Gorzie in monasterio, publice, anno quo supra.

Signum Folcheri, abbatis, et Adelberti, patris ejus, qui hunc evindicatum fieri et firmare rogaverunt; Signum

Soiperi; S. Eringi; S. Gisleberti; S. Harduici; S. Alboini advocati; S. Radowardi; S. Adelmodi; S. Audini; S. Wandelmari; S. Gisaldi; Agloni; S. Angelardi; S. Bettoni. Ego Aftagius scripsi et subscripsi.

79.

Gorze, 886.

L'abbé et les moines de Gorze donnent à Barnerus, Wahinus et Dotda une terre sur le Ru-de-Mad en échange d'autres à Raulecourt (?).

Cartulaire, p. 109 et 110.

COMMUTATIO INTER HERIGAUDUM ABBATEM ET BARNERUM.

Inter quos karitas illibata permanserit pars parti congrua beneficia oportunitatis denegare non debet. Ideoque placuit atque convenit inter Herigaudum, Gorziensis monasterii abbatem, et cunctam congregationem monachorum sancti Petri et sancti Gorgonii, ut quasdam res inter se commutarent; quod ita et fecerunt. Dederunt Barnerus, et Wainus, et Dotda, de rebus proprietatis sue, in pago Scarponinse, ad partem sancti Petri seu sancti Gorgonii, in fine Rodolciaca, de terra arabili jornale I, qui sic determinatur : de uno latere ratio Sancti Stephani, de alio latere ipsi heredes tenent, de una fronte Gundelandus tenet, de alia fronte ipsi heredes tenent; in alio loco, in ipsa fine, jornalem I et dimidium, et terminatur ita : de uno latere Ragembaldus tenet, de alio latere ratio Sancti Stephani, de una fronte caminus est. Econtra dederunt Herigaudus, abbas, et cuncta congregatio monachorum jam dicto Barnero, et Wahino, et Dotdane, de rebus sancti Gorgonii, in pago Scarponinse, super fluviolum Magide, terram arabilem que habet in longum perticas XX, in latum IX, farinarium I; ipsa terra sic terminatur : de

ambobus lateribus et una fronte ratio sancti Gorgonii, de alia vero fronte fluvius Maide decurrit; terminationem ad integrum. Ea vero ratione ut quicquid pars juste et rationabiliter alteri contulit parti jure hereditario succedat, et de collatis unaqueque pars quicquid facere decreverit, videlicet vendendi, commutandi, in omnibus libero potiatur arbitrio. Si quis vero (quod fieri non credo), hanc commutationem violare temptaverit, auri libras v persolvat, et quod repetit evindicare non valeat. Et ut hec commutatio omni tempore firma et stabilis permaneat, manu propria illam roboravimus, et manibus fratrum nostrorum roborare fecimus.

Facta commutatio in Gorzie monasterio, anno quo supra.

Signum Barneri, et Wahini, et Dotdane, qui hanc commutationem fieri et firmare rogaverunt; † Augeri; † Ercumberti; † Radowali; † Gauzini; † Eudoni; † Ragneri; † Barneri; † Ragnardi; † Agigutii; † Folchradi; † Madelbaldi; † Erponi; † Widolfi; † Ermunbaldi; † Gundelandi; † Uinelandi; † Wanberti; † Erlulfi; † Larmundi; † Gunbaldi; † Fredemari; † Ermenulfi; † Everardi. Ego Racher monachus scripsi et subscripsi.

80.

Gorze, 888.

L'abbé et les moines de Gorze donnent à Boso, homme de leur abbaye, un manse à Conflans(?) en échange d'une terre au même lieu.

Cartulaire, p. 110 et 111.

Commutatio quam fecit Herigaudus abbas et Boso de villa Complatinse.

Ordo rationis jure expostulat ut quotiens mundanarum rerum probabilis commutatio certum nititur obtinere

tramitem, adhibita inviolabilis karitatis exhibitione, illud quod invicem largiflua karitas impertiri non abnuit scriptis omnimodis roboretur; unde et quod prudenti[ssi]ma sanxit antiquitas nec minus fragilioris evi posteritas, hoc idem inconvulsa apicum adnotatione firmare satagit, quatinus rationabiliter collata nulla postmodum possint rerum varietate turbari. Quamobrem, placuit atque convenit inter Herigaudum, abbatem Gorziensis monasterii, et quendam hominem nomine Bosonem, hominem sancti Gorgonii, ut quasdam res, pro ambarum partium oportunitate, inter se commutare deberent; quod ita et fecerunt. Dedit igitur Herigaudus abbas, vel cuncta congregatio monachorum, de rebus sancti Petri seu sancti Gorgonii, jam dicto Bosoni, in pago Mettense, in villa Complatinse, mansum I, qui habet in longum perticas VI, in latum perticas III, qui terminatur ita : de ambobus lateribus et una fronte ipse Boso tenet, de alia fronte caminus est. Econtra dedit Boso, de rebus suis, ad partem sancti Petri vel sancti Gorgonii, in ipso pago vel in ipsa fine, terram arabilem que habet in longum perticas XII, in latum perticas III, que terminatur ita : de uno latere et una fronte ratio sancti Gorgonii, de alio latere ipse Boso tenet, de alia vero fronte caminus est; infra hanc terminationem ad integrum. Ea vero ratione ut quicquid pars juste et rationabiliter alteri contulit parti jure hereditario succedat, et de collatis unaqueque pars quicquid facere decreverit, videlicet vendendi, commutandi, in omnibus libero perfruatur arbitrio. Si quis vero (quod fieri non credo), ego ipse aut aliquis de heredibus vel proheredibus meis contra hanc commutationem venire temptaverit, aut eam infringere conatus fuerit, inferat cum cogente fisco auri libram unam, argenti pondera III multa sustineat, et quod repetit evindicare non valeat, sed hec commutatio omni tempore firma et stabilis permaneat stipulatione subnixa.

Actum in Gorzie monasterio, anno ab incarnatione Domini DCCCLXXXVIII, indictione VI, epacta IIII, concurrente I, anno I regnante Arnulfo rege.

Signum Bosonis, qui hanc commutationem fieri et firmare rogavit; † Johannes presbiter; † Hagrannus; † Giraldus; † Agraldus; † Erembaldus; † Neveluncus; † Ermenaldus; † Autgerus; † Everaldus; † Teudradus; † Teutbaldus; † Martinus; † Dodo. Ego Ratcherus monachus scripsi.

81.

Gorze, 890.

L'abbé et les moines de Gorze donnent à un nommé Erembertus un manse et une terre à Vic en échange d'une terre et d'un pré au même lieu.

Cartulaire, p. 111-113.

COMMUTATIO LODOINI ABBATIS ET HEREMBERTI APUD VICUM.

Ordo rationis jure expostulat ut quotiens mundanarum rerum probabilis commutatio certum obtinere nititur tramitem, adhibita inviolabilis karitatis exhibitione, illud quod invicem largiflua caritas impertiri non abnuit scriptis omnimodis roboretur; unde et quod prudentissima sanxit antiquitas nec minus fragilioris evi posteritas, hoc idem inconvulsa apicum adnotatione firmare satagit, quatinus rationabiliter collata nulla postmodum possint rerum varietate turbari. Quamobrem, placuit atque convenit inter domnum Lodouinum, Gorziensem abbatem, una cum illis fratribus qui in eodem monasterio consistere videntur, et aliquem nobilem hominem nomine Erembertum, ut quasdam res inter se commutarent; quod ita et fecerunt. Dedit igitur memoratus abbas Lodouinus et ipsi fratres ipsius monasterii, ad partem Heremberti,

in pago Salninse, in vico qui dicitur Bodesio, mansum unum qui habet in longum perticas VIII, in una fronte perticas VII, in alia fronte perticas V pedes V, et terram arabilem que habet in longum perticas XVI, in una fronte similiter, in alia fronte perticas XIII; qui mansus et terra arabilis terminatur ita : in uno latere strata publica, in alio latere Erembertus tenet, in una fronte Walterius et Helmoidus tenent, in alia fronte [ratio] Sancti Martini, et censum de ipsa strata publica ad opus fratrum retinuimus. Econtra dedit Erembertus in ipso pago vel in ipsa fine, ad partem sancti Petri vel sancti Gorgonii, seu Lodouini abbatis vel ipsorum fratrum Gorziensis monasterii, terram arabilem que habet in longum perticas XXXIII, in una fronte perticas VI, in alia fronte perticas V, in uno latere ratio Sancti Mariani, que determinatur ita : in ambobus lateribus et una fronte Bernardus tenet, in alia fronte ratio Sancti Martini. Similiter donavit pratum quod habet in longum perticas XXIII et dimidium, in una fronte perticas VI, in alia fronte perticas V, in uno latere ratio Sancti Mariani, in alio latere et una fronte Bernardus tenet, in alia fronte fluvius Sallia currit. Ea vero ratione ut quicquid juste et rationabiliter pars alteri contulit parti jure hereditario succedat, et de collatis unaqueque pars quicquid facere decreverit, videlicet vendendi, commutandi, in omnibus libero perfruantur arbitrio, excepto ipso censu de strata publica. Si quis vero (quod fieri non credimus), hanc commutationem violare temptaverit, solidos C cogente fisco persolvat, et quod repetit evindicare non valeat. Et ut hec commutatio firma et stabilis omni tempore permaneat, manu propria roboravimus.

Facta commutatio in Gorzie monasterio, anno ab incarnatione Domini D CCC XC, indictione VIII, epacta XXVI, concurrente III, anno III regnante domino Arnulfo serenissimo rege.

R[obertus], sancte Mettensis ecclesie humilis episcopus, subscripsi.

82.

Fresnes, 894.

Amalricus, sa femme et son fils donnent à l'abbaye de Gorze des biens à Sommeyèvre (?), Hennemont (?), etc., et les reçoivent en précaire de ladite abbaye en même temps que d'autres à Auve.

Cartulaire, p. 113 et 114.

PRECARIA QUAM FECERUNT AMALRICUS ET RAINA UXOR EJUS.

Oportunitas ecclesiasticæ administrationis non solum spiritalibus presidiis, verum etiam temporalibus auxiliis filiorum propaginem nutrire non desinit. Hii enim qui sub deprecario facto res ecclesiasticas expetunt, dantes proprietates rerum suarum ut sub beneficio prestarie ipsas obtineant, ut ecclesia ad quam respiciunt immelioretur, convenit ut eis assensum prebeamus. Idcirco Lodouinus, misericordia Dei abbas de monasterio sanctorum apostolorum Petri et Pauli almique Gorgonii, quod situm est in pago Scarponinse, in loco qui dicitur Gorzia, una cum consensu fratrum ibidem Deo militantium, res ad predictum monasterium respicientes, sub nomine prestarie, Amalrico, nobili viro, concessimus, et uxori ejus, et filio eorum Amalrico, in pago Stadinense, vel in villa que dicitur Arva, quicquid Adelaldus in ipsa villa vel in ipsis finibus adjacentibus per precariam tenuit. Et ipse videlicet Almaricus dedit nobis, pro immelioratione ecclesiasticarum rerum, mansum indominicatum I in Summaveria, et alias res quas ibi visus fuit tenere, et mulier ejus, tam in mansis quam et in campis. Et in aliis locis, in comitatu videlicet Muslinse, que Eone monte vocatur,

res meas, tam in campis quam et in silvis, dono, et in alio loco in comitatu qui vocatur Stadinense, que ibi fui visus habere in illa loca nominata. Similiter dono mancipia XII his nominibus : Archenradum, Genel, Gozmunt, Etlent, Adulmant, Arnolt, Rivalt, Moila, Borgarada, Etleio, Wiulf, Gisa. Et convenit in censum annis singulis ad festivitatem sancti Gorgonii, que est v idus septembris, de argento solidos v; nam si de ipso censu tardus aut negligens apparuerit, cum lege restituat, et ipsam precariam non perdat.

Facta precaria in Freseni ecclesia; fuit levata anno ab incarnatione Domini D CCC LXXXXIIII, indictione XII, epacta XI, concurrente I, anno VII Arnulfi regis.

Ut vero hujus precarie renovatio(nis), quam ei in tempore vite sue concedimus optinendam, firma permaneat, manus nostre subscriptione firmare censuimus, et manibus uxoris mee et filii mei Amalrici.

Signum Amalrici, qui hanc cartulam fieri et firmare rogavit; Signum Evroni; Sign. Wangeri; Signum Rotradi; Signum Altolt; S. Gozperti; S. Widrici; S. Adaloni; Signum Folradi; S. Welanni. Ego Haimarus cancellarius scripsi et subscripsi.

83.

Gorze, 895.

L'abbé et les moines de Gorze donnent à Harimannus, homme de Saint-Étienne de Metz, un manse à Moivron en échange d'une terre à Vic.

Cartulaire, p. 114-116.

IN MONTE VIRONIS.

Ordo rationis jure expostulat ut quotiens mundanarum rerum probabilis commutatio certum obtinere nititur

tramitem, adhibita inviolabilis caritatis exhibitione, illud quod invicem largiflua caritas impertiri non abnuit scriptis omnimodis roboretur; unde et quod prudentissima sanxit antiquitas nec minus fragilioris evi posteritas, hoc idem inconvulsa apicum adnotatione firmare satagit, quatinus rationabiliter collata nulla postmodum possint rerum varietate turbari. Quamobrem, placuit atque convenit inter Lodouinum, abbatem Gorziensis monasterii, una cum conssensu fratrum qui ibidem Deo deserviunt, et quendam hominem Sancti Stephani, nomine Harimannum, et per licentiam domni Rotberti, archiepiscopi, ut quasdam res inter se commutarent; quod ita et fecerunt. Dedit igitur memoratus abbas Lodouinus et ipsi fratres, de rebus sanctorum apostolorum Petri et Pauli almique Gorgonii, Harimanno, mansum unum in pago Scarponinse, in Monte Vironis, habentem in longum perticas XIII et pedes IX, et de alio latere perticas X, in una fronte perticas VI et pedes X, in alia fronte perticas X et VIII, qui terminatur ita : de uno latere et una fronte Gondhadertnus, de alio latere via publica, de alia vero fronte Anegradus tenet; infra istas terminationes totum ad integrum. Econtra vero reddidit Harimannus, homo Sancti Stephani, de rebus proprietatis sue, in pago Salninse, in vico Bodesio, de terra arabili abentem in longitudinem perticas XXVI, in una fronte perticas XIII, de alia vero fronte perticas XX, que terminatur ita : de uno latere et una fronte ratio Sancti Mariani, et de alio latere Harimannus tenet, de alia vero fronte Beraldus tenet; infra istas terminationes totum ad integrum. Ea vero ratione ut quicquid pars juste et rationabiliter alteri contulit parti jure hereditario succedat, et de collatis unaqueque pars quicquid facere decreverit, videlicet habendi, tenendi, vendendi, commutandi, in omnibus libero potiatur arbitrio. Si quis vero (quod fieri minime credimus), contra hanc commutationem venire conatus fuerit, aut eam

irrumpere vel immutare voluerit, auri libras VI persolvat, et quod repetit evendicare non valeat, sed presens commutatio omni tempore firma et stabilis permaneat, manu propria illam roboravimus, et manibus fratrum nostrorum roborare fecimus cum stipulatione subnixa.

Actum in Gorzie monasterio, anno ab incarnatione Domini D CCC XCV, indictione XIII, epacta XXII, concurrente II, anno VIII regni Arnulfi regis.

S. Lodouini abbatis, qui hanc commutationem fieri et firmare rogavit. Obtatus decanus roboravit. Seguinus; Farnulfus; Soyperus; Sarowardus; Erencus; Harno; Gislebertus; Teudo; Wiardus; Ancedolius; Agredus; Barnerus; Audinus; Adelmodus; Seirannus; Harduinus; Aftagius; Queldo; Johannes; Wandelmarus; Teultaldus; Goderamnus; Haminicus, cum sociis eorum. Ego Vuhardus, quamvis indignus sacerdos et monachus, scripsi et subscripsi.

84.

Doncourt, 895.

Bivinus donne à l'abbaye de Gorze un manse et une terre à La Bertaucourt (?), en échange d'une dîme attachée jadis à l'église de La Beuville (?) et qui appartiendra désormais à l'église que ledit Bivinus vient de faire construire à Doncourt.

Cartulaire, p. 116 et 117.

COMMUTATIO QUAM FECERUNT BIVINUS COMES ET MONACHI GORZIE IN BERCIALDI CURTE.

Inter quos caritas illibata permanet, pars parti beneficia oportuna non denegat, quia nichil sibi de rebus propriis credit minui, dum econtra recipit in augmentum. Quapropter placuit atque convenit inter Bivinum quen-

dam, nobilem virum, et monachos Gorziensis monasterii, ut quasdam res inter se commutare deberent; quod ita et fecerunt. Dedit igitur Bivinus ad partem sancti Gorgonii martyris mansum unum in Belcialdi curte respicientem faciens ad reliquias ecclesie sancti Gorgonii in Benurfi villa, super rivolum Senode; qui mansus habet in longum perticas XI, et in latum perticas II, qui determinatur ita : de uno latere ratio Sancti Stephani, de alio latere et una fronte ipse donator tenet, de alia vero fronte via publica; et ipsa pertica habet pedes XX in longum, necnon de terra arabili jornales X in ipsa fine conjacentes. Econtra vero dederunt monachi, consentiente domino Roberto, episcopo, et fecerunt subjectam decimam de Dodoni curte ad ecclesiam Bivini, in ipsa villa noviter constructam, que decima antea respiciebat ad ecclesiam sancti Gorgonii in Berulfi villa. Ea vero ratione hec inter se commutaverunt, ut unaqueque pars quod accepit ab altera teneat atque possideat, et quicquid exinde facere voluerit, liberam ac firmissimam in omnibus habeat potestatem stipulatione subnixa.

Actum in Dodoni curte, anno quo supra.

Signum Bivini, qui hanc commutationem fieri et firmare rogavit; Signum Queltini; S. Ragenfridi; ✝ Johannis; ✝ Huni. Ego Herembertus, ac si indignus presbiter et cancellarius, sub magistro meo Hodoboldo scripsi.

85.

Metz, 898.

Witcharnus donne à l'abbaye de Gorze divers biens à Kédange et ailleurs, à condition de les recevoir en précaire de ladite abbaye, avec d'autres à Metz, près de la porte Serpenoise, à Hegunbach (?), etc.

Cartulaire, p. 117 et 118.

De villa Ketingas et de rebus quas circa fluvium qui dicitur Canera habere debemus.

In Christi nomine. Ego Witcharnus, cogitans pro Dei intuitu, vel pro eterna retributione, atque pro augmentatione precarie quam pater meus quondam Witcharnus, et mater mea Adelburch, seu ego ipse de parte sancti Gorgonii habueramus in loco qui dicitur Hegunbachæ, in villa Huneriada, propterea dono ad partem ecclesie sancti Petri seu sancti Gorgonii Gorziensis monasterii quasdam res proprietatis mee, donatumque in perpetuum esse volo, et promptissima voluntate confirmo per cartulam testamenti; hoc est in pago Muslinse, super fluvium Caneram, in villa cujus vocabulum est Retingas, seu in ipsa fine, in locis nuncupatis Alcassingas et Hihelingas, vel in circuitu ipsorum finium, de terris arabilibus ancingas xiii et jornalem i, id est quicquid in ipsis finibus predictis vel ibi circumquaque visus fui de terris arabilibus habere, totum ad integrum, et in ipsa fine pecias duas, quarum una est super fluvium Canera, prope villam que dicitur Retingas, et alteram in loco qui vocatur Hihelingas, in quibus potest colligi fenum karratas viii ; hec autem omnia ad partem predicti monasterii sancti Petri, una cum conjuge mea Benedicta, dono, trado atque transfundo in Dei nomine perpetualiter ad possidendum, ita tamen ut, quandiu nos vixerimus, habeamus in precariam de parte sancti Petri seu sancti Gorgonii, per beneficium ipsius sancti loci rectoris, tam ipsas res quas modo dedi, quam et illas quas pater meus et mater mea, Witcharnus et Adelburch, ad partem ipsius monasterii antea ad adquirendam ipsam precariam dederunt; id est in pago Muslinse, in villa Huneriaca, mansum et sortem i, ubi sunt de terris arabilibus ancinge xxxiii, et prata ubi potest colligi fenum karradas xxxii, et in fine Mettinse, prope por-

tam Scarponinse, vineam unam in qua possunt colligi de vino modii xx; similique modo et illas res de ratione sancti Petri seu sancti Gorgonii quas memorati genitores mei, atque ego ipse, a multo ante tempore in precariam acceperamus, id est in predicto pago, prope fluvium Caneram, in loco qui dicitur Hegunbach, mansos et sortes IIII, cum omnibus appendiciis, campis scilicet, pratis, silvis, cultis et incultis, totum hoc per omnia et ad integrum, dum vixerimus, habere vel uti legaliter valeamus, nullam tamen habentes pontificium quicquam exinde minuendi aut alienandi, sed potius illud augendi vel emeliorandi studium habeamus, et annis singulis proinde ad partem memorati altaris, in festivitate sancti Gorgonii, in censum de argento denarios XVI persolvere studeamus. Post nostrum quoque discessum, quandoquidem Deus voluerit, ipse omnes res prescripte, date videlicet et accepte, emeliorate cum omni superposito ad partem predicti monasterii absque ullius contradictione omnimodis revertantur, et sic deinceps omnes easdem res pars ipsius ecclesie habeat, teneat atque possideat, vel quicquid exinde rectores ipsius sancti loci more ecclesiastico facere decreverint, in omnibus libero perfruantur arbitrio stipulatione subnixa.

Actum Mettis, publice, anno ab incarnatione Domini D CCC XCVIII, indictione II, epacta VI, concurrente VII, anno X Arnulfi regis.

Signum Witharni, qui hanc cartam donationis fieri et firmare rogavit; S. Benedicte, uxoris ejus; † Ratmadi; † Waloni; † Teuderii; † Rotberti; † Blitcheri; † Riperti; † Item Witcharni; † Wolferi; † Vurenfridi; † Hadieri; † Gerloni. Ego Harduinus, humilis in Christo cancellarius, scripsi.

86.

Gorze, 903.

Robert, archevêque de Metz, déclare que l'abbaye de Gorze a concédé en précaire à un nommé Willermus non seulement les biens qu'elle tient de ce Willermus à Arnaville et à Ansoncourt, mais encore l'église de Jeandelize avec ses dépendances.

Cartulaire, p. 118-120. — Publ. dans les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 51.

De ecclesia quam in villa Ganderlisia habere debemus.

In nomine Domini. Robertus, sancte Mettensis ecclesie humilis archiepiscopus. Notum sit omnibus fidelibus sancte Dei ecclesie, tam presentibus quam et futuris, qualiter Willermus quidam dedit nobis, ad partem ecclesie sancti Petri seu sancti Gorgonii Gorziensis monasterii, quasdam res sue proprietatis; hoc est in pago Scarponinse, in Alnaldo villa, vineas duas ubi possunt colligi de v[i]no modii xxx, et in alio loco, in eodem pago, in Adsoloni manso nuncupato loco, mansos et sortes viii, prata vero ad colligendum fenum karratas lxxxvii, de silva ad saginandum porcos cccl, et mancipia viii, quorum hec sunt nomina : Lampertus, Adhelradus, Ansaldus, Aginaldus, Agintrudis, Amalrada, Eugenia, Leudrada. Postea vero sua fuit peticio et nostra decrevit voluntas ut ei et conjugi ipsius, nomine Date, et filie eorum Achildi, tam ipsas res quas dedit quam et alias de ratione sancti Petri et sancti Gorgonii, videlicet in pago Virdunensi, in villa que dicitur Ganderlisia, ecclesiam unam in honore sancti Martini, ad quam aspicit mansus et sors i, et in ipsa villa mansos et sortes alias xiii, et de terris arabilibus indominicatis ad seminandum inter utrasque

sationes modios cc, de pratis vero ad colligendum fenum carratas cxcviii, silvam ad saginandum porcos d, et mancipia xii : Audulfum scilicet et Robertum, Hotmarum et Bernerum, Tangelradum et Theutardum, Rodradum et Adhalsinnam, Wiredum et Hairedum, Rothaidam et Aehildem, beneficiare deberemus ; quod ita et fecimus, ea vero ratione ut, quandiu vixerint, ipsas res omnes, more precario, per beneficium nostrum successorumque nostrorum, sub usu fructuario, quieto ordine, valeant habere et excolere, ac fructus terre recipere, et nullam habeant potestatem quicquam exinde minuendi aut alienandi, sed quicquid ibidem addere, augmentare vel emeliorare potuerint, perficere studeant. Et censum proinde annis singulis in festivitate sancti Gorgonii, que est v idus septembris, in argento videlicet solidos ii ad partem sancti Petri persolvere non amittant ; nam et si de ipso censu tardi aut negligentes apparuerint, cum legis sanctione illum restituant, sed ipsam precariam non perdant. Post decessum quoque illorum, quandoquidem Deus voluerit, ipsas res omnes date et accepte, emeliorate, cum omni superposito, absque ullius contradictione vel judicis assignatione, ad partem memorati altaris sancti Petri seu sancti Gorgonii omnimodis revertantur.

Actum in Gorzia, publice, anno ab incarnatione Domini D CCC XCIX[1], indictione vi, epacta xx, concurrente v, anno iii regni Lodovici, filii Arnulfi regis.

Robertus, sancte Mettensis ecclesie episcopus, subscripsit ; S. Rodulfus abbas ; S. Seguinus decanus ; S. Farnulfus ; S. Soiperus ; S. Sarowardus ; Erengus ; S. Harno ; S. Gislebertus ; Teudo ; Ancedolius ; Agredus ; Barnerus ; Segerannus ; Audinus ; Adelmodus ; Ardowicus ; Johannes ; Becio ; Aftagius ; Gisaldus ; Wandelmarus ; Teuthaldus ; Godderannus ; Amincus ; Agilus ; Angelradus ; Erloi-

1. *Sic* pour D CCCC III.

nus; Adelbertus; Giroardus; Girardus; Aginardus; Adowardus; Segebaldus; Rudricus; Anovaldus; Barnerus; Heldowardus; item Girardus; Rotcherus; Aribaldus; Britius; Rotlandus; Ragembertus; Giroinus; Isembardus. Ego Seguinus, ac si indignus monachus, hanc precariam scripsi.

87.

Metz, 910.

La reine Richilde donne à l'abbaye de Gorze tous ses biens de Longeville, à condition de les recevoir en précaire de ladite abbaye, en même temps que d'autres à Varangéville, Moncel (?) et Voisage.

Cartulaire, p. 120-122. — Publ. par D. Calmet, *Hist. de Lorraine*, II, col. CLXVIII-CLXX.

DONATIO QUAM [FECIT] RICHILDIS REGINA DE LONGEI VILLA.

Si quis de rebus propriis locis divinis cultibus mancipatis aliquid augmentando contulerit, hoc sibi ad salutem anime profuturum confidit. Idcirco ego in Dei nomine Richildis, quondam regina, cogitans pro Dei intuitu et anime mee salute ut veniam facinorum meorum in futuro assequi merear, dono ad partem ecclesie sancti Petri seu sancti Gorgonii Gorziensis monasterii, cui domnus Robertus, sancte Mettensis ecclesie archiepiscopus, preesse videtur, quasdam proprietatis mee res, donatumque in perpetuum esse volo et promptissima voluntate confirmo; hoc est, in pago Gerbercinse, in Langeii villa, mansum indominicatum cum edificiis superpositis, et de terris arabilibus indominicatis ubi possunt seminari de annona modii cc inter utrasque sationes, de pratis vero ad karradas xx, de vineis ad colligendum de vino modios c, de silva ad saginandum porcos DCC, et alios mansos et sor-

tes XII, et mancipia XL, quorum hec sunt nomina : Teutbaldus, et uxor ejus Girosma, et filius eorum I; Conricus et uxor ejus Perseindis, cum duobus infantibus eorum; Erlinus et uxor ejus Salia, et infantes eorum III; Sigebertus; Angilbertus; Bernoinus; Biliardis et infantes ejus II; Odelricus et uxor ejus Bennedia; Gozerus; Witgildis; Madelgardis; Idrada et filius ejus Adelbaldus, et uxor ejus Mamma, et filii eorum II; Ebbo et uxor ejus Rabergia, et infantes eorum IIII; Adelgisus; Rataidis et infantes ejus II; Adelbergia; videlicet quicquid in predicta Langeii villa vel quod ad eam aspicit visa fui habere, in mansis, mancipiis, edificiis, vineis, campis, pratis, silvis, aquis aquarumve decursibus, totum per omnia ad integrum partibus memorati monasterii dono, trado atque transfundo in Dei nomine perpetualiter ad possidendum. Ita tamen ut in recompensatione earumdem rerum, et aliarum que sunt in comitatu Virdunensi, in Manciola vocata villa, quas similiter per alteram cartam ad ipsum locum dedi, tam ipsas res quas ego dedi, quam et de ratione sancti Petri seu sancti Gorgonii monasterium in honore ejusdem sancti Gorgonii dicatum, in pago Calmontinse, in Warengisi villa situm, cum suis appendiciis, et mansos et sortes ibidem aspicientes LXII, cum mancipiis illic commanentibus, et in alio loco, in pago Scarponinse, super flumen Mosellam, in Wasatico nuncupata villa, mansos et sortes V, et quicquid ad eos aspicit, videlicet quicquid ad omnes supradictos mansos aspicere dinoscitur, in mansis, ecclesiis aliisque edificiis, mancipiis utriusque sexus, vineis, campis, pratis, silvis, aquis aquarumve decursibus, totum ad integrum, de parte predicte ecclesie, per beneficium memorati presulis, domni Roberti, seu successorum ejus, quamdiu vixero, jure precario quieto ordine valeam habere et excolere, jureque legitimo uti. Et proinde annis singulis, in festivitate sancti Gorgonii, que est V idus septembris, ad partem ipsius monasterii,

ad altare sancti Petri, de argento in censum solidos VI persolvere debeam. Post meum autem decessum, quando quidem Deus voluerit, omnes supradicte res, ad partem prefati monasterii, absque ullius contradictione vel judicis assignatione, omnimodis revertantur. Et sic in futuro pars ipsius ecclesie illas habeat, teneat atque possideat, vel quicquid exinde rectores ipsius sancti loci facere decreverint libero in omnibus perfruantur arbitrio, stipulatione subnixa.

Actum Mettis, publice, anno ab incarnatione Domini D CCCC X, indictione XIII, epacta VII, concurrente VII, anno XI Lodovici regis.

Signum domne Richildis regine, cujus jussione hec carta facta est; Signum Altmanni, advocati ejus, qui hanc cartam a terra levavit et scribi ac firmari rogavit; † Signum Hunonis; Signum Blidulfi; † Signum Rodulfi; † Signum Bosonis; † Signum Huodonis; † Signum Framerici; † Signum Lellonis; † Signum Agilberti; † Signum Hisowardi; † Signum Hildebrandi, scabini; † Signum Hiltranni, scabini; † Signum Girbaldi, scabini; † Signum Johannis, scabini; † Leuderi; † Signum Bonibrandi; † Signum Heriboddonis. Ego Harduicus cancellarius scripsi.

88.

Boloneias, 910.

La reine Richilde donne à l'abbaye de Gorze tous ses biens de Moncel (?), à condition de les recevoir en précaire de ladite abbaye, en même temps que d'autres à Varangéville, Longeville et Voisage.

Cartulaire, p. 122-125. — Publ. parmi les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 52.

DONATIO QUAM FECIT RICHILDIS QUONDAM REGINA DE REBUS SUIS IN PAGO ET COMITATU VIRDUNENSI, IN VILLA MANCIOLA.

Ego in Dei nomine Richildis quondam regina, cogitans pro divini respectus intuitu et anime mee salute ut veniam in futuro delictorum meorum adipisci merear, et in die tremendi examinis ante tribunal Christi, secura adsistens, illam desiderantissimam Domini vocem audire valeam : « Venite, benedicti patris mei, percipite regnum ; » propterea dono quasdam res proprietatis mee ad partem sancti Petri seu sancti Gorgonii Gorziensis monasterii, cui domnus Robertus, sancte Mettensis ecclesie episcopus, preesse videtur, donatumque in perpetuum esse volo et promptissima voluntate per cartulam testamenti confirmo ; hoc est, in comitatu Virdunensi, in villa que dicitur Manciola, mansum indominicatum cum edificiis desuper statutis, et de terris arabilibus indominicatis ad seminandum inter utrasque sationes modios cccc, prata quoque ad colligendum XXII karradas feni, de silva ad saginandum porcos DCC, farinarios II, alios quoque mansos et sortes IX, et mancipia LX, quorum hec sunt nomina : Rainaldus et uxor ejus Genildis, cum infantibus VII ; Folcherus et uxor Ermengardis, cum infantibus II ; Hisemfridus ; Winierus et uxor ejus Mumblia, cum infantibus III ; Harpertus et Mancia ; Teutaidis cum infantibus III ; Rosinda ; Himbertus et uxor ejus Erildis, cum infantibus IIII ; Teubaldus et uxor ejus Adelsindis ; item Arpertus et uxor ejus Geroidis, cum infantibus II ; Ermengerus et uxor ejus, cum infantibus duo ; Warlindis cum infantibus V ; Wandelbertus ; Erchembertus ; Angelildis cum infantibus III ; Emildis cum infante I ; Ermenaidis cum infantibus II ; Ermenradus ; Blitcherus ; Folculfus et uxor ejus Rotgar-

dis; videlicet quicquid in ipsa villa vel ad ipsam aspiciens visa sum tenere vel habere, in mansis siquidem, edificiis, mancipiis utriusque sexus, campis, pratis, silvis, farinariis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, cultis et incultis, totum per omnia ad integrum, partibus prefati monasterii sancti Petri seu sancti Gorgonii dono, trado atque transfundo in Dei nomine perpetualiter ad possidendum. Ita tamen ut in recompensatione earumdem rerum, et aliarum que sunt in comitatu Gerbercinse, in Langei villa, quas simili modo per aliam cartam ad ipsum monasterium dedi, tam ipsas res quas ego dedi quam et de ratione sancti Petri vel sancti Gorgonii monasterium in honore ejusdem sancti Gorgonii dicatum, in pago Calmontinse, in Warengisi villa situm, cum omnibus suis appendiciis, et ad ipsum monasterium aspicientes mansos et sortes LXII, cum mancipiis ibidem cummanentibus vel aspicientibus, et in alio loco, in pago Scarponinse, super fluvium Mosellam, in Wasatico vocata villa, mansos et sortes V, et quicquid ad eos aspicit, videlicet quicquid ad ipsos predictos mansos aspicere dinoscitur, in mansis, ecclesiis aliisque edificiis, mancipiis utriusque sexus, vineis, campis, pratis, silvis, aquis aquarumve decursibus, totum per omnia et ad integrum, de parte predicte ecclesie, per beneficium memorati domni Roperti, presulis, seu successorum ejus, quandiu vixero, valeam habere et excolere, jure precario, quieto ordine jureque legitimo uti. Et proinde annis singulis in festivitate sancti Gorgornii (*sic*), que est V idus septembris, ad partem ipsius monasterii, ad altare sancti Petri, de argento solidos VII persolvere debeam. Post meum quoque discessum, quando quidem Deus voluerit, ipse res omnes ad partem ipsius ecclesie, absque ullius contradictione vel judicis assignatione, omnimodis revertantur. Et sic deinceps pars ipsius ecclesie illas habeat, teneat atque possideat, vel quicquid rectores ipsius sancti loci exinde facere

decreverint in omnibus libero perfruantur arbitrio stipulatione subnixa.

Actum in Boloneias vocata villa, publice, anno quo supra.

Signum domne Richildis regine, cujus rogatu hec carta facta est; † Signum Altmanni, advocati ejus, qui hanc cartam a terra levavit, et fieri ac firmari rogavit; † Signum Teudonis comitis; † Signum Maingaudi; † Signum Bernoini, scabini; † Signum Altcheri, scabini; † Signum Goberti, scabini et centenarii; † Signum Guntardi, scabini; † Signum Blitcheri, scabini; † Signum Olrici; † Signum Magineri; † Signum Albrici; † Signum Teutwini; † Signum Merulfi; † Signum Salaconis. Ego Quillardus, presbiter atque cancellarius, legi et relegi.

89.

Scarponne, 912.

Les moines de Gorze donnent à un prêtre nommé Erembertus des terres et des prés à Sponville, en échange de biens à Xonville (?), Sponville et Raulecourt (?).

Cartulaire, p. 125 et 126. — Publ. parmi les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 53.

COMMUTATIO HERIMBERTI PRESBITERI IN CIPPONIS VILLA.

Ordo rationis jure expostulat ut quotiens mundanarum rerum probabilis comutatio certum obtinere nititur tramitem, adhibita inviolabilis karitatis exhibitione, illud quod largiflua caritas invicem impertiri non abnuit scriptis omnimodis roboretur; unde et quod prudentissima sanxit antiquitas nec minus fragilioris evi posteritas, hoc idem inconvulsa apicum adnotatione firmare satagit, quatinus rationabiliter collata nulla postmodum possint rerum varietate turbari. Quamobrem, placuit atque convenit

inter illos monachos ex monasterio sancti Petri seu sancti Gorgonii Gorziensis monasterii, et quendam presbiterum nomine Erembertum, per consensum et licentiam domni Roberti, sancte Mettensis ecclesie venerabilis archiepiscopi, et Widrici, ejusdem monasterii abbatis, quasdam res, pro ambarum partium oportunitate, commutare deberent; quod ita et fecerunt. Dederunt itaque monachi predicti monasterii memorato Heremberto, presbitero, ad proprium, de rebus ecclesie sancti Petri seu sancti Gorgonii, quas antecessores ipsius Heremberti et ipse Erembertus ad idem monasterium, pro remedio animarum suarum, quondam dederant, quasque ipse hactenus in precariam habebat, in pago Scarponinse, in fine Ceponiaca, de terris arabilibus et pratis simul conjacentibus ancingas mensuratas quinque, et dimidium jornalem, et de ipsa abbatia et beneficio, Roberto ipso consentiente, jornalem I inter duo loca in ipsa fine Ceponiaca, quod ita terminatur : de uno latere et una fronte ....[1] in primo loco ipse Erembertus tenet, de alio vero latere Rotbertus, et in alio loco de uno latere et de una fronte Rodbertus tenet, in alio vero latere ipse Erembertus, et de alia fronte ratio Sancte Segolene; intra hanc finem et has terminationes totum et ad integrum. Econtra vero reddidit ipse Erembertus ad partem ecclesie sancti Petri seu sancti Gorgonii, de proprietate sua, in pago Scarponinse, in fine Segoniaga, in loco qui dicitur Boslesilve, et in fine Ceponiaca, in loco qui dicitur Verenna Adelardi, ancingas V mensuratas et dimidium, et in fine Radeliniaca, in loco qui dicitur Aigonis vallis, jornalem I pro beneficio Roberti, qui ita terminatur : de uno latere ratio sancti Gorgonii, de alio latere et una fronte ratio Sancte Segolene, de alia vero fronte via publica; intra has omnes fines et terminationes predictas totum ad integrum. Eo

1. En blanc dans le cartulaire.

scilicet rationis tenore ut, a die presenti in futuro, quicquid pars juste et rationabiliter alteri contulit parti jure hereditario succedat, et de collatis unaqueque pars quicquid facere decreverit, videlicet habendi, tenendi, commutandi, in omnibus libero perfruatur arbitrio. Et [ut] hec commutatio omni tempore firma et stabilis permaneat, ad peticionem Widerici, abbatis, et monasterii prescripti, monachorum memoratus presul manu propria illam roboravit et manibus fidelium suorum roborari fecit.

Actum in Scarponna, in mallo, publice, anno ab incarnatione Domini D CCCC XII, indictione xv, epacta nulla, concurrente iii, anno i regnante Karolo rege, filio regis Lodovici.

Erlebaldus comes manu propria roboravit. Signum Warneri; S. Teufridi; S. Gerzoni; S. Seivini; S. Ailolfuni; Giberti; Arbodi; Albrici; S. Roberti, qui hanc commutationem fieri et firmare rogavit; S. Hamedei; Gotsaldi; Waini; Barnacri; Angelelmi. Ego Galemannus, cancellarius, scripsi et subscripsi.

90.

Verdun, 914.

Wigiricus, abbé de Gorze, donne à son monastère l'église de Conflans-en-Jarnisy, et des biens audit Conflans, à Fey (?) et à Verny, à condition de les recevoir en précaire dudit monastère, en même temps que l'église de Moivron et ses dépendances.

Cartulaire, p. 126-129. — Publ. parmi les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 55.

TESTAMENTUM WIGERICI, ABBATIS GORZIE, DE ECCLESIA SANCTI MARTINI APUD CONFLANS ET DE MONTE VIRONIS.

Cum fragilitati humane vite varii casus accidunt, et unusquisque finem vite sue ignorat, ita agere debet quasi

omni hora cogitet se hinc transiturum, ne interveniente negligentia circa finem imparatus inventus, sine aliquo respectu boni operis de seculo migret, nisi, dum in sua potestate consistit, preparet sibi viam salutis, per quam ad eternam valeat beatitudinem pervenire. Idcirco ego in Dei nomine Wigiricus, abbas, cogitans pro Dei timoris intuitu et anime mee salute ut veniam delictorum meorum in futuro adipisci merear, et in die futuri examinis ante tribunal Christi adsistens illam desiderantissimam Domini vocem audire valeam : « Venite benedicti patris mei, percipite regnum, » dono aliquid de rebus proprietatis mee ad partem Gorziensis monasterii sancti Petri seu sancti Gorgonii, cui ego ipse, ex permissu senioris mei domni Roberti, sancte Mettensis ecclesie venerabilis episcopi, preesse videor, donatumque in perpetuum esse volo et promptissima voluntate confirmo per cartulam testamenti; hoc est in pago Wabrinse, in comitatu Virdunensi, in villa que dicitur Confluentis, super fluvium qui vocatur Horna, ecclesiam I in honore sancti Martini confessoris Christi dedicatam, ad quam aspicit mansus et sors I; item ibi mansum indominicatum, cum omni edificiorum structura, terras quoque arabiles indominicatas ad ipsum mansum aspicientes, in quibus possunt seminari de annona inter utrasque sationes modios CL, prata vero ad colligendum de feno carratas XL, de silva ad saginandum porcos L, et farinarium I, itemque ibi mansos et sortes ingenuiles VI, et quicquid ad eos aspicit, et mancipia XXX; et in alio loco, in pago Mettinse, in comitatu Gerbercinse, in Fadilico vocata villa, mansum indominicatum, cum edificiis et arboribus diversi generis, et alios mansos duos sine edificiis, de terris vero arabilibus quicquid in ipsa fine, sive ibi prope in fine Verniaca, habui, de vineis quoque in quibus possunt colligi de vino modii CCC, prata vero ad colligendum de feno carratas XXX, de silva ad saginandum porcos XL, videlicet quicquid in his supradictis locis visus

fui habere, in ecclesia, mansis, edificiis, mancipiis, vineis, campis, pratis, silvis, cultis et incultis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, totum per omnia et ad integrum ad partem prefati monasterii sancti Petri seu sancti Gorgonii, atque ad illos fratres ibidem Deo militantes, dono, trado atque transfundo in Dei nomine perpetualiter ad possidendum. Ita tamen ut tam ipsas res, quas dedi, quam et ipsas alias res de ratione ipsius ecclesie sancti Petri seu sancti Gorgonii, hoc est in pago Salninse, in comitatu Scarponinse, in Monte Virone nuncupata villa, ecclesiam I in honore sancti Gorgonii consecratam, et quod ad eam aspicit, mansum vero indominicatum cum edificiis desuper statutis, terras quoque indominicatas arabiles ad seminandum inter ambas sationes modios CXXV, vineas vero in quibus possunt colligi CCC modii vini, prata autem ad colligendum fenum karratas XXX, et de silva ad saginandum porcos L, alios quoque mansos et sortes ingenuiles VIII, et serviles XVI, cum omnibus suis appendiciis, videlicet quicquid in supradicta villa visum est habere de ratione sancti Petri seu sancti Gorgonii, in ecclesia, mansis, edificiis, mancipiis utriusque sexus, vineis, campis, pratis, silvis, pascuis, cultis et incultis, aquis aquarumve decursibus, totum per omnia et ad integrum, quandiu ego vixero, per beneficium memorati presulis seu successorum ejus, de parte sancti Petri vel sancti Gorgonii, more precario, quieto ordine, valeam habere vel excolere, jureque legitimo uti. Et proinde annis singulis in festivitate sancti Petri, que est III kalendas julii, ad partem ipsius altaris in censum de argento solidos V solvere debeam; et si de ipso censu negligens apparuero, cum lege illum restituam, sed propterea meam precariam non perdam. Post meum quoque discessum, quando quidem Deus voluerit, prefate omnes res date scilicet et accepte, absque alicujus contradictione vel judicis assignatione, ad partem memorati monasterii omnimodis revertantur stipulatione subnixa.

Actum in Virduno, in mallo publico, coram Ricoino comite, anno ab incarnatione Domini D CCCC XIIII, indictione II, epacta XXII, concurrente V, anno III regnante domno Karolo rege in regno Lotarii quondam regis feliciter.

† Signum Wigirici abbatis; † Signum Ramberti; † Signum Ricoini comitis; † Odilberti; † Signum Blidulfi; † Signum Teutfridi; † Signum Bernachri; † Signum Volfridi; † Signum Volfaldi. Ego Godebertus, diaconus, ad vicem Coillardi presbiteri atque cancellarii, scripsi.

91.

Gorze, 922.

Adalbertus et les moines de Gorze donnent à un nommé Hildemannus la terre que leur abbaye possède vers Varangéville, sur le Sânon, en échange de divers biens à Gerbécourt.

Cartulaire, p. 129 et 130. — Publ. parmi les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 57.

Commutatio de rebus Hildemanni.

Ordo rationis jure expostulat ut quotiens mundanarum rerum probabilis commutatio certum obtinere nititur tramitem, adhibita inviolabilis caritatis exhibitione, illud quod invicem largiflua caritas impertiri non abnuit scriptis omnimodis commendetur; unde et quod prudentissima sanxit antiquitas nec minus fragilioris evi posteritas, hoc idem inconvulsa apicum adnotatione firmare satagit, quatinus rationabiliter collata nulla postmodum [possint] rerum varietate turbari. Quamobrem, placuit atque convenit inter venerabilem virum nomine Adalbertum, et fratres ex monasterio sancti Gorgonii martyris, et quendam virum Hildemannum nomine, ut quasdam res inter se commutare deberent; quod ita et fecerunt. Dederunt itaque, per consensum domni Wigirici, presulis sancte Mettensis ecclesie, jam dictus Adalbertus aliique fratres predicte congre-

gationis sancti Gorgonii, Hildemanno, in pago Calmontinse, super fluvium Cernonem, terram sancti Gorgonii que habet determinationes : de uno latere ipsius aque, de alio latere caminus publicus, de tercio latere tenet Bosonis potestas de Odani villa, de IIIº vero latere est Hugonis comitis ex Rodaldi villa; ex quatuor autem terminationes ex Novo villare, cum omni integritate Hildemanno in comcamium datur. Econtra in recompensatione hujus meriti reddidit Hildemannus in pago Salninse, de rebus suis propriis, in villa Gerberti curte, ad partem predicti sancti Gorgonii, mansum I, et vineam, campos, prata, silvas, et quicquid ad ipsas res pertinet, cum omni integritate; habet terminationes de duabus partibus terra Sancti Dionisii, de tertia parte via publica, de quarta vero parte tenet Heriburgis; infra has terminationes, sicut inter illos convenit, totum et ad integrum. Ea vero ratione ut, a die presenti in futuro, quicquid pars juste et rationabiliter alteri contulit parti jure hereditario succedat, et de collatis unaqueque pars quicquid facere juste decreverit, videlicet habendi, tenendi, commutandi, libero in omnibus perfruatur arbitrio. Et ut hec commutatio firma et stabilis permaneat, manibus propriis illam roboravimus stipulatione subnixa.

Actum in monasterio superius nominato, anno ab incarnatione Domini D CCCC XXII, indictione X, epacta XX, concurrente II, anno XI Karoli regis.

† Signum domni Wigirici, episcopi, qui istam commutationem firmavit et scribere jussit; † Signum Adelberti, senioris sive abbatis ipsius cenobii; † Adelmodi decani; † Eringi; † Radowardi; † Hardowici; † Bettonis; † Aftagii; † Wandelmari; † Audini; † Gisaldi; † Agloni; † Angelardi; † Hadieri; † Randaldi; † Bricii; † Wolmodi; † Barneri; † Leutfridi; † Barnardi; † Bliheri; † Girardi; † Folchridi; † Ego Aftagius, ac si indignus humilis cancellarius, scripsi et subscripsi.

92.

Metz, 16 décembre 933.

Adelbero, évêque de Metz, réforme l'abbaye de Gorze qu'il remet en possession d'un grand nombre de ses biens.

Cartulaire, p. 130-134. — Publ. par D. Calmet, *Hist. de Lorraine*, II, col. CLXXVI-CLXXVIII.

PRIVILEGIUM ADELBERONIS METTENSIS EPISCOPI.

Adelbero, divina Omnipotentis favente clementia humilis sancte Mettensis ecclesie pontifex. Notum sit omnibus sancte Dei ecclesie filiis et fidelibus, presentibus scilicet et futuris, quod nonnulla que secus justo erant gesta, et a recto itineris tramite deviarant in nostre dioceseos finibus, quam regendam gratuita Dei bonitate noscimur suscepisse, reperimus monasterium quod Gortia dicitur, in beati apostolorum principis Petri, et egregii gentium doctoris Pauli, necnon et venerandi martiris Gorgonii, non solum humanis auxiliis et rebus destitutum, sed, quod est multo gravius, omni religione privatum; nam venerabilis predecessor meus, domnus Rodgingus, jam dictum monasterium a fundamentis exstruens, rebus magnisque possessionibus adprime ditavit, insuper et monachis qui ibidem, secundum regulam sancti Benedicti viventes, Deo militarent, usquequaque decoravit. Sed temporibus succedentibus, et hominibus in deteriora devolutis, refrigescente jam, secundum Domini verba, caritate multorum, quod venerabilis memorie pater et pastor prefatus Rodgingus cum tanta devotione studioque stabiliverat, magna jam ex parte more aque labentis defluxerat, et residuum quod supererat in ancipiti discrimine pendens, jamjamque occasum vergens, non modice vaccillabat. Sepedictus namque constituit presul ut quicquid ad mensam fratrum

pertineret, hoc abbas previderet, absque ullius interdictione, et ipse abbas, sicut regula precipit, per communem electionem ex ipsa esset congregatione ; quod si omnem teneret abbatie terram, oporteret ei satellites tenere, cum quibus publice militaret, sin autem nil amplius haberet, nisi quod ad mensam fratrum pertineret, nullum deberet servitium, nisi fratribus ministrare et religionem previdere.

Unde nos, tanti viri diligentia et religione perspecta, scientes procul dubio nos ipsius meritis fore participes si bonorum studiorum essemus imitatores, verentes etiam ne illorum qui destitutionis jam dicti loci causa fuerant efficeremus consortes si, dum valebamus, quod nequiter gestum erat non studeremus corrigere, eundem monasterium in quantum ad presens valuimus restruximus, et ea que injuste ab eo erant ablata restituimus; undique etiam non parvo labore coadunatos viros quos putavimus religiosos, et qui professi sunt celibem se velle ducere vitam, inibi monachos posuimus, et secundum communem ipsorum omnium electionem abbatem benedicentes eis imposuimus, et unde absque ulla cotidiani victus sollicitudine vivere secundum monachorum regulam possent reddentes hoc statuimus, ut nunquam deinceps alium habeant abbatem, presente scilicet quandoque ut Deus decreverit defuncto, nisi quem communis ipsius congregationis elegerit voluntas, ex ipsa videlicet congregatione. Si autem, quod absit ! in ipsa defuerit congregatione qui hoc implere valeat, ab ipso episcopo, de alia congregatione monachorum, religiosus et Deum toto corde timens ac diligens assumatur, et eis preponatur, qui eos prudenter sciat regere et in Dei voluntatem viamque dirigere.

Hec sunt autem que ad hoc eis restituimus, ut quod prefati sumus strenue implere, et pro bonis devotius ac totius sancte matris ecclesie statu Dei pietatem studeant implorare : in pago Scarponinse, ipsum monasterium in

quo ipsi consistunt monachi, et aliud juxta positum monasterium, in quo prius beatus martyr quievit Gorgonius; in eodem pago villam Noviantum vocatam, cum ecclesiis duabus, unam in honore sancti Martini, aliam in sancti Genesii; in eodem pago villas tres que vocantur ita : Bodulfi villa, Geoni villa, Penna, et quicquid ad ipsas villas pertinet, in ecclesiis, et in terris, et in omnibus aliis rebus, sicut decretum est ab antecessoribus nostris; in villa Domni Stephani ecclesiam I; similiter in pago Salninse, loco qui vocatur Bodesius Vicus, ecclesiam unam que est in honore sancti Mariani, et quicquid ad illam pertinet; item in ipso pago dimidiam ecclesiam in villa que vocatur Bioni curtis, et quicquid ad ipsam medietatem pertinet; in eodem pago, in villa que vocatur Cuveriacus, ecclesiam unam in honore sancti Martini dicatam, cum mansis duobus; in villa que dicitur Madelini curtis ecclesiam I; in Gaugegio ecclesiam I in honore sancti Andree; super fluvium Mosellam, villam que vocatur Clusererus, et quicquid ad illam aspicit; in pago Wormoncinse capellas III, et mansos XVIII, cum decima indominicata; in pago Vongencinse villam que vocatur Mons medius, cum ecclesiis VI, et vineis, campis, pratis et omnibus rebus illic pertinentibus; in pago Stadinense villam que vocatur Wasnous, et quicquid ad illam villam pertinet; item in ipso pago villam que vocatur Arva, cum ecclesia in honore sancti Martini; in pago Wavrinse ecclesiam I que dicitur ad Domnum Martinum; in pago Matinse, in villa que vocatur Almaz, ecclesiam unam.

Precamur omnimodis venerabiles successores nostros episcopos ut quod pie devoteque, pro Dei amore omnipotentis, statuimus, inconvulsum inviolatumque manere permittant, sicut sua volunt que juste decreverint illibata custodiri decreta. Et ut hoc verius credatur quod supra pie intimavimus, et a successoribus nostris diligencius servetur, validioremque obtineat firmitatis vigorem, hoc

eis exinde soliditatis testamentum facere jussimus, videlicet per deprecationem abbatis ejusdem loci, Agenoldi, et monachorum ipsius, et per consilium abbatum, et canonicorum nostrorum, et conspalatii nostri, et aliorum nobilium laicorum; ut nullus ex successoribus nostris hoc destruere conetur, manu propria illud firmavimus etiam et manibus canonicorum nostrorum et nobilium laicorum roborari fecimus. Si autem aliquando, auctore totius iniquitatis diabolo instigante, aliquis fuerit qui contra hoc nostre devotionis, pro divine remunerationis obtutu, fideliter peractum decretum venire temptaverit, aut eum infringere conatus fuerit, quia episcopali fungimur officio maledicere quempiam nolumus, sed quod egregius doctor gentium de non diligentibus Deum noscitur esse locutus, quia si acciderit illum qui talia presumpserit, Christi persecutorem qui in omnibus persequitur pro suo nomine pauperibus atque oditorem esse scimus, hoc omnimodis imprecamur ut sit anathema, maranatha, sciat se etiam ante tribunal eterni judicis, in die tremendi examinis, cum domno et sancto predecessore nostro Rodgingo, episcopo, mecumque, quamvis peccatore, et cum omnibus quos in sepedicto loco adgregavimus Dei fidelibus ex hoc causaturum.

Cuonradus, abbas et custos cappelle; Angelrannus abbas, Fredericus abbas; Odelricus decanus; Sigilboddo, custos Sancti Stephani; Waldradus cantor; Teuthardus presbiter; Degericus presbiter; Waldemundus presbiter; Ermenardus presbiter; Dominicus presbiter; Ranulfus presbiter; Richardus presbiter; Riwaldus presbiter; Teutmarus diaconus; Imarus diaconus; Teudoldus diaconus; Girardus diaconus; Ernicho diaconus; Wigiricus subdiaconus; Imarus subdiaconus; Lupus subdiaconus; Folcoinus subdiaconus; Adelardus acolitus; item Wigiricus acolitus; Hamedeus comes palatii; Lanbertus; Haimo; Folmarus; Sigibertus; Sigiricus; Rainerus; Folcoinus;

Weneramnus; Albulfus; Rotfridus; Girardus; Walo; Arperdus; Teubertus; Drogo; item Folcoinus; Dagizo; Rotmarus; Reinzo. Ego Everinus cancellarius recognovi et scriptum subscripsi.

Actum Mettis, publice, sub die XVII kalendas januarii, anno ab incarnatione domini nostri Jhesu Christi DCCCC XXXIII, indictione VI, regni autem gloriosissimi regis Henrici in regno Lothariorum VIII, episcopatus autem domni Adelberonis, qui hoc scriptum fieri jussit, V.

93.

Gorze, 935.

Bernacher donne à l'abbaye de Gorze divers biens à Silvange (?).

Cartulaire, p. 134 et 135.

Donatio Bernacri.

Ego itaque Bernacher, pro Dei intuitu necnon pro anime mee remedio, per hanc cartulam donationis dono res meas quas habeo in villa Silviniaco ad monasterium sancti Petri quod dicitur Gorzia, ubi inclitus martir Gorgonius corpore requiescit; hoc est jornales sex de bona terra, et de vinea petias tres ad colligendum de vino modios sex; hec michi ex parte patris mei venerunt. Similiter ibi trado mansum unum, quem cum Willardo, filio Helmerici, commutavi, qui ita terminatur : de uno latere tenet Odelricus, frater meus, et de tribus lateribus est via publica; aspiciunt ad ipsum mansum jornales V de bona terra, et de alia non tam bona jornales X, et de prato ad colligendum fenum carratas III, et vineam unam in qua possunt colligi de vino modii decem. Confinia illorum, id est terminationes, non necesse est hic ponere, quia satis nota sunt vicinis ville illius. Ea tamen ratione ut fratres mei, Ragenelmus et Berninegus, atque successores

eorum, ipsas teneant et pro eis singulis annis, in festivitate Omnium sanctorum, duos solidos ad luminaria concinnanda persolvant. Et si hoc agere negligunt, ipse res in potestate congregationis jam dicti monasterii per omnia maneant, habeantque ex illis licentiam tenendi, vendendi vel quicquid illis placuerit agendi.

Actum publice in monasterio Gorziacensi, anno ab incarnatione Domini D CCCC XXXV, indictione VIII, epacta (x)XIIII, concurrente III, anno quo mortuus est Henricus rex.

† Signum domni Adalberonis, venerandi presulis; Signum domni Agenaldi, abbatis; † Frederici; Odilonis; † Andree; † Johannis; † Humberti decani; † Angelardi; Bricionis; † Ardowici; † Randinci; † Aquilonis; † Huberti; † Ardowini; † Teutheri; † Rothinci; † Blitheri; † Milonis; Lodowini. Ego Bernacher, jubente domno Agenaldo abbate nostro, scripsi.

94.

936.

Othon, roi de Germanie et de Lorraine, confirme à l'abbaye de Gorze la possession de tous les domaines qui lui ont été donnés par Adelbero et les autres évêques de Metz.

Cartulaire, p. 135-137. — Publ. parmi les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 59. Cf. *Diplomatum regum et imperatorum Germaniæ tomus I*, p. 149.

PRECEPTUM DOMNI OTTONIS REGIS DE POSSESSIONIBUS NOSTRIS.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Otto Dei gratia rex. Noverit omnium fidelium nostrorum tam presentium quam et futurorum industria, qualiter Adelbero, Mettensium episcopus, per interventum Brunonis, archiepiscopi, atque Willibemmi, archiepiscopi, nostram adiit clementiam, deprecans ut res quas ipse Adelbero ad monaste-

rium in honore sancti Petri, apostolorum principis, consecratum, quod Gorzia vocatur, ubi menbra incliti martyris Gorgonii quiescunt, et ad mensam fratrum ibidem Deo secundum regulam sancti Benedicti militantium dedit, vel antea a predecessoribus suis ad predictum monasterium datas invenit, videlicet, Bodulfi villam cum omnibus suis appendiciis, Noviant similiter cum suis appendiciis, Wasaticum et villam Domni Stephani cum appendiciis suis, Pennam cum suis appendiciis, ecclesiam que est in villa Garniaco cum duabus cappellis, ecclesiam que est in villa Siaco cum capella una, novem mansos et eo amplius in villa que dicitur Molendina, Lagnei villam cum appendiciis suis, villam Dornincum, ecclesiam in honore sancti Andree in Gaudiaco, capellam in Madelini curte et aliam Domni Martini dictam, ecclesiam in Cuveriaco, ecclesiam sancti Mariani in Subteriori Vico sitam, cum cappella in Bionis curte et omnia que ad predictam ecclesiam aspiciunt, Warengisi villam cum omnibus appendiciis suis, Montem Vironis cum appendiciis suis, Montem Gudini, Sumalonam, ecclesiam Domni Martini, Wasnau et Montem medium cum appendiciis suis, ecclesias duas in Paterni villa cum mansis ad eas pertinentibus, Flammareshem cum ecclesia una, ecclesiam que est in villa Isemburch, et terciam partem ejusdem ville, et terciam partem silve, et cetera que ad ipsam aspicere videntur super fluvium Moselle, quicquid sanctus Gorgonius in Clusoredo habet, omnem decimationem, de vino, annona, et feno ac lino, in villa Pomaries, et in Predalio, et in Garniaco, et in Siaco, et de vineis indominicatis que sunt circa Metis, de Gaudiaco, de Prunido, de Miliriaco, de Falto, de Fao, de Vulteriaco, de Heldulfi villa, de Sarcofago, de Furcellis decimam indominicatam, mansum infra Mettis qui dicitur Aurea, alodium quod Angilramnus sancto Gorgonio dedit ad Montem Jovis, Odonis villam, Enwaldi villam, Aldi villam, ecclesiam in villa Fao, eccle-

siam in villa Sancti Marcelli cum capella una, villam que dicitur Suiron, nos quoque, regia auctoritate nostra, ad prefatum monasterium concederemus atque firmaremus. Igitur, piis ejus peticionibus annuentes, predictas res, et insuper omnia que ad presens tenent, et deinceps per cartarum instrumenta adquirere potuerint, ejusdem monasterii monachi jure perpetuo teneant atque possideant, per hoc nostre auctoritatis preceptum eis concedimus. Et ut hoc nostre concessionis preceptum firmiter stabiliterque permaneat, manu nostra subtus illud firmavimus anuloque nostro insigniri jussimus.

Actum anno ab incarnatione Domini DCCCCXXXVI, indictione IX, epacta XXV, concurrente V, anno I regni Ottonis regis.

95.

Metz, 936.

Ingilrannus donne à l'abbaye de Gorze un manse qui lui appartient dans la ville de Metz.

Cartulaire, p. 137 et 138.

De manso quem Angelrannus dedit nobis.

Si quid donarium sacris confertur edibus, omnino creditur cuilibet sui causa excreto fenore illud cumulari in celestibus, quod quidam experti multociens, quin etiam Dominica obaudientes monita quibus precipimur in celestibus tesaurizare, nostra loca sanctorum de superlectili visitant, dantque propria, sibi suisque affinibus per hoc tractantes de commissis remedia consequi. Ego igitur Ingilrannus, idcirco tante fultus securitatis, opere precium duxi, quatinus res quasdam juris mei, hoc est mansum cum edificio quem visus fui habere infra muros Mettis civitatis, pro remedio anime mee meorumque predecesso-

rum, penitus tradere ad partem sancti Petri, apostolorum principis, sanctique Gorgonii martyris, hoc est in monasterio Gorziacensi, cui preest Agenoldus, religiosus abbas, cujus terminationes ita habentur : de uno latere et fronte strata publica, de altero latere mansus Sancti Pauli, de superiori fronte terra Sancti Stephani et Sancti Pauli, infra has terminationes, ut visus sum habere, trado et transfundo legali ratione quatinus rectores et cenobite ipsius loci in proprio teneant dominio. Si quis autem meorum contra hanc donationem venire temptaverit, non evindicet, ast potius, coactus judiciaria potestate, cui vim intulerit libram persolvat auri; utque hoc inconvulsum permaneat, hanc noticiam illis videlicet domno predicto abbati et ceteris fratribus feci, et propria manu roboratam, aliisque tam canonicis quam laicis ad confirmandam datam tradidi, atque ad hujus tituli confirmationem et ipsum venerabilem seniorem nostrum Adelberonem precatus sum insignire.

Actum Mettis, publice, stipulatione subnixa, anno quo supra.

† Signum Ingelranni, qui dedi, tradidi et firmavi; Signum Tethardi presbiteri; Signum Ingelberti; Signum Enalui; Signum Godefridi; Signum Widonis; Signum Gumperni; Signum Sigeboddini; Signum Drogonis; Signum Giroardi; Signum Wahini; Signum Vulberti; Signum Blitcaudi. Ego Arbertus monacus scripsi et subscripsi.

96.

936.

Adelbero, évêque de Metz, restitue à l'abbaye de Gorze le domaine de Moivron.

Cartulaire, p. 138 et 139. — Publ. parmi les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 60.

Notitia de Monte Vironis.

In omni negotio equitatis norma semper sectanda est, verum et cujusque rei proclamatio, justis ventilata querimoniis, quo fine claudatur dignum ducimus memorabilibus assignari scriptis. Idcirco ego, ac si indignus, Adelbero, sancte ecclesie Mettensium episcopus, notum manere volo qualiter proclamationibus Agenoldi, venerandi abbatis, simulque totius memorande ipsius congregationis cenobio sancti Petri digne Deo famulantibus commonitus sum, scilicet pro nonnullis suorum rebus ad ipsum dictum cenobium pertinentibus, precipueque propter villam Montem Vironis dictam, quam legitima donatione necne verenda obtestatione sub testamento conscriptionis a predecessore nostro, videlicet beate memorie Rodgingo, ostendebant prefato loco traditam, atque veridico testimonio affirmabant tenuisse ipsam in proprios usus usque tempore predecessoris nostri Wigirici episcopi, qui illam ordine precario a comunione fratrum semovit, quam videlicet, quia noster fidelis Folmarus in beneficio habebat acsi aliter quam rectitudo mandat, totiens dissimilando distuli; verum proprio libitu sola difficultas resistebat. Nunc vero, favente Deo, eam que fuerat abjecta impossibilitate, et quia locum implendi adeptus sum, cum consensu predicti fidelis nostri Folmari, cui et comcammium reddidi, parique nostri advocati comitisque palatii condictu, reliquorumque fidelium nostrorum consultu, memorate proclamationi venerabilis abbatis satisfeci, non modo quasi spontaneum donum donando, verum alterius scilicet beati Rogingi proprium utque dictum in perpetuum donativum reddendo, utinam et per hoc nostrum proveniat premium, quo semper habeant secundum legitimam predecessoris nostri donationem, humili deposcens prece omnes successores nostros, presentes ac futuros

ecclesie fideles, ut pro tanti viri memoria simulque veneratione, et pro nostre pravitatis condonatione, inconvulsum manere sinant, utque potiori teneantur examine eandem quam et noster predecessor subnectimus obtestationem, scilicet monentes, per trine majestatis venerationem, ut quemadmodum volunt sua, ita nostra confirment, et corroborent justa diffinitione promulgata. Quo autem et super hoc prefatus abbas reliquusque ipsius cenobii ordo certus securusque permaneat, hoc testamentum redonative rei jussimus fieri, manu nostra propria simulque fidelium nostrorum utriusque ordinis roboratum.

Adelbero, sancte Mettensis ecclesie humilis episcopus, subscripsit †.

† Signum Everini primicerii; S. Folcradi † archidiaconi; † Sigiboddonis custodis; Waldradi cantoris; † Teuthardi presbiteri; † Riwaldi presbiteri; † Rainulfi presbiteri; † Dagerici presbiteri; † Wolfridi presbiteri; Tanchradi presbiteri; Rampodi presbiteri; † Lamperti presbiteri; † Erchenulfi presbiteri; † Dodonis presbiteri; † Enalui presbiteri; † Ursonis diaconi; Wigirici diaconi; Adelardi diaconi; † item Adelardi diaconi; † Betonis diaconi; † Girardi diaconi; † Hardowini subdiaconi; † Girbaldi subdiaconi; Volfridi subdiaconi; † Rodingi subdiaconi; † Wigirici acoliti; † Conradi acoliti; † Gonteri acoliti; † Hamedei, comitis palatii et advocati; † Odacari comitis; † Teutberti; † Roberti; † Lamberti; † Reinrici; † Folcradi; † Lodowini. Ego Adelardus cancellarius scripsi et subscripsi.

Actum anno quo supra.

97.

Juin 938.

Le pape Léon VII confirme toutes les donations faites à l'abbaye de Gorze par l'évêque de Metz Adelbero.

Cartulaire, p. 139-141. — Publié parmi les Preuves de l'*Histoire de Metz* des Bénédictins, III, 61, et par Pflugk-Harttung, *Acta pont. Rom. ined.*, I, 6. Cf. Jaffé-Loewenfeld, *Reg. pont. Rom.*, n° 3609.

Privilegium Leonis pape de possessionibus nostris.

Leo, episcopus, servus servorum Dei, Agenaldo, venerando abbati cenobii videlicet Gorzie, in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli eximiique martyris Gorgonii dudum constructi, et per te tuis successoribus in perpetuum. Convenit apostolice pietati cunctarum ecclesiarum sollicitudinem gerere, et sicut sancta Romana sedes per beatum Petrum caput et princeps est ceterarum, ita quibuslibet sicut propriis menbris suffragium, ubi fore indigent, impertiri. Quapropter id quod a nobis postulas, fili karissime, libenter accipiens, predictum monasterium, cum omnibus rebus ad se pertinentibus, vel quas filius noster Adalbero, sancte Mettensis ecclesie episcopus, eidem loco benivola voluntate de sua ditione concessit, ita per hoc apostolice auctoritatis privilegium, vel tibi, vel tuis successoribus omnique fraternitati confirmamus, ut testamentum illud quod exinde vobis isdem coepiscopus et filius noster, prefatus Adelbero, jam pridem fecit, stabile et inconvulsum perduret, neque successores illius, neque persona quelibet aliqua predictas res, vel quicquid ad vestram ditionem pertinet, inquietare vel usurpare presumat. Post tuum vero discessum, habeant monachi licentiam, vel de semetipsis vel de alio cenobio, qualemcumque personam sue saluti plenius convenientem reppe-

rerint, sine cujuslibet, aut episcopi, aut alterius gradus contradictione, abbatem preferre. Adalberonem sane, qui locum illum vobis ad reparandum ordinem monasticum tradidit, cum omnibus religiosis principibus, vel quibuslibet aliis christianis, qui loco vel fratribus adjutores fuerint, in Domino gratificamus, et ut ipsi a sanctis apostolorum principibus adjuvari mereantur et, quantum divina pietas concesserit, absolutos esse optamus. Et contra, si quis tam pernitiosus fuerit ut fraternitatem illam, vel omne quicquid ad eos pertinet, inquietare aut usurpare presumpserit, hunc talem, sub anathematis vinculo, nisi ad satisfactionem resipuerit, innodamus atque excommunicamus. Ut autem hec nostra auctoritas firmius habeatur, et in futuros dies illibata perduret, hanc signi nostri bulla facimus insigniri, et propria manu nostra roborari.

Scriptum per manum Leonis, scriniarii sancte Romane ecclesie, in mense junio, anno ab incarnatione Domini D CCCC XXXVIII, indictione XI, epacta XVII, concurrente VII, anno III Ottonis regis. Bene valete.

98.

Metz, 939.

Hadewidis donne à l'abbaye de Gorze des manses et des serfs à Cattenom (?).

Cartulaire, p. 141 et 142. — Publ. parmi les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 62.

DONATIO HADEWIDIS DE DAGANEN.

Quisquis fide integra, spe certa, karitate perfecta, Domino credens, debitorem eum fecit, procul dubio cumulata multiplici remuneratione perpetuo gaudebit. Idcirco ego Hadewidis, quondam conjunx Gisleberti comitis, necnon et filius ejusdem Gautfridus, ad partem Gorziensis monasterii, quod est situm et dicatum in honore

et nomine apostolorum principis Petri, atque egregii doctoris seculi Pauli, ubi etiam venerabile corpus eximii atque preciosi martyris Gorgonii requiescit, ob remedium anime jam dicti senioris, et quia in eodem monasterio est sepultus, cuique preest et prodest abbas Agenaldus loco, donamus, in presentia ducis Frederici et aliorum hominum, donatumque in perpetuum esse volumus, et promptissima voluntate confirmamus, hoc est in pago et comitatu Moslinsi, in loco qui dicitur Daganem, mansum unum indominicatum, cum terris sibi subjectis, ac mansis v, eorumque apendiciis, insuper et mancipiis ibi residentibus, quorum hec sunt vocabula : Amolbertus et uxor ejus Wilrada, cum infantibus duobus; Herardus et conjunx ejus Richildis, et infans illorum I; Harwinus et uxor ejus Wilcardis, et infantes IIII; Riculfus cum uxore Riningarai et infantibus IIII; Racardis; Ywuldis; Hidigardis; Willeicus; Huniza et infans ejus unus; Hardicho et uxor ejus Hadelindis, cum infantibus duo; Frochardus; Haidulfus. Hec omnia superius adnotata ab hodierna die et deinceps donamus, tradimus atque transfundimus, ut sub jure et dominatione prefati monasterii, pro remedio memorati senioris Gisleberti et pro sepultura ejus, habeatur, stipulatione subnixa.

Actum Mettis, coram duce Friderico, anno ab incarnatione Domini DCCCCXXXIX, indictione XII, epacta XXVIII, concurrente I, anno IIII imperii domni Ottonis.

Signum Hadewidis et Gaufridi, qui hanc cartam donationis fieri et firmare rogaverunt; Signum Friderici, comitis ducis.

99.

Aix-la-Chapelle, 13 juillet 943.

Othon, roi de Germanie et de Lorraine, confirme à l'abbaye de Gorze la possession de tous les domaines qui lui ont été

donnés par Adelbero, évêque de Metz, et par ses prédécesseurs sur ce siège épiscopal.

Cartulaire, p. 142 et 143. — Publ. par Bœhmer, *Acta imperii selecta*, I, n° 2, et dans les *Monumenta Germaniæ hist.* (Diplomatum regum et imperatorum Germaniæ t. I, p. 149) avec la date 945.


PRECEPTUM DOMNI OTONIS REGIS DE REBUS SANCTI GORGONII.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Otto Dei gratia rex. Noverit omnium fidelium nostrorum tam presentium quam et futurorum industria, qualiter Adalbero, Metensium episcopus, per interventum Cuonradi, Lodariensis ducis, nostram adiit clementiam, deprecans ut res quas ipse Adalbero ad monasterium in honore sancti Petri, apostolorum principis, constructum, quod Gorzia nominatur, ubi menbra incliti martiris Gorgonii quiescunt, ad mensam fratrum ibidem secundum regulam sancti Benedicti Deo militantium, dedit, vel antea a predecessoribus suis ad predictum monasterium datas invenit, videlicet Bodulfi villam cum omnibus suis appendiciis, Noviant similiter cum suis appendiciis, Wasaticum et villam Domni Stephani cum appendiciis suis, Pennam cum suis appendiciis, ecclesiam que est in villa Garniaco cum duabus cappellis, ecclesiam que est in villa Siaco cum capella una, IX mansos in villa que dicitur Molendina, Lagnei villam cum appendiciis suis, villam Dornincum, ecclesiam in Gaugiaco, cappellam in Madelini curte et aliam Domni Martini dictam, ecclesiam in Cuveriaco, ecclesiam sancti Mariani in Subteriori Vico sitam, cum capella in Bionis curte et omnia que ad predictam ecclesiam aspiciunt, Warengisi villam cum appendiciis suis, Montem Vironis cum appendiciis suis, Montem Gudini, Sumalonam, ecclesiam Domni Martini, Wasnau et Montem medium cum appendiciis suis, ecclesias duas in Paterni villa, cum mansis ad eas pertinentibus, Flamereshem cum ecclesia una, ecclesiam que est in villa Isemburg, et

terciam partem ejusdem ville, et terciam partem silve, et cetera que ad ipsam aspicere videntur, quicquid sanctus Gorgonius in Clusoredo habuit, omnem decimacionem, de vino, annona, et feno ac lino, in villa Pomaries, et in Bredalio, et in Garniaco, in Siaco, et de vineis indominicatis que sunt circa Mettis, de Gaudiaco, de Prunido, de Falto, de Fao, de Vulteriaco, de Haldulfi villa, de Sarcofago, de Furcellis decimam indominicatam, mansum infra Mettis quod dicitur Aurea, alodium quod Angelramnus sancto Gorgonio dedit ad Montem Jovis, nos quoque regia auctoritate nostra ad prefatum monasterium concederemus. Igitur piis ejus peticionibus annuentes, predictas res, et insuper omnia que ad presens tenent, et deinceps per cartarum instrumenta adquirere potuerint, ejusdem monasterii monachi jure perpetuo teneant atque possideant, per hoc nostre auctoritatis preceptum eis concedimus. Et ut hoc nostre concessionis preceptum firmiter stabiliterque permaneat, manu propria subtus illud firmavimus anuloque nostro insigniri jussimus.

Signum domni Ottonis regis serenissimi. (*Monogramme.*)

Brun, cancellarius, ad vicem Friderici archicapellani, recognovi et scripsi.



Data III idus julii, anno ab incarnatione Domini DCCCC

XLIII, indictione I, anno domni Ottonis serenissimi regis IX.

Actum ad Aquis.

100.

Gorze, 17 mai 945.

Immina affranchit un serf et cinq serves, en leur imposant la condition de payer chaque année, eux et leurs descendants, un tribut pour le luminaire de l'autel de saint Gorgon, à Gorze.

Cartulaire, p. 143 et 144. — Publ. parmi les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 64.

DONATIO IMINE.

Cum fragilitati humane varii casus accidunt, et unusquisque finem vite sue ignorat, ita agere debet quasi omni hora se cogitet hinc transiturum, ne interveniente negligentia, circa finem imparatus, sine aliquo respectu boni operis de seculo migret; et quandiu in potestate sua homo consistit, preparare sibi viam salutis debet, per quam ad eternam beatitudinem pervenire valeat. Quapropter, ego in Dei nomine Immina, cogitans pro Dei intuitu et anime mee salute ut veniam delictorum meorum in futuro adipisci merear, et in die futuri examinis ante tribunal Christi adsistens, illam desiderantissimam Domini vocem audire valeam : « Venite, benedicti patris mei, percipite regnum, » absolvo, per consensum et voluntatem filii mei Alsaroi, famulum ac servum meum nomine Rotfridum, et ancillas meas, scilicet Alexandriam, Flozsinnam, Anciliam, Dodam, Gislam, ut ab hodierna die et deinceps bene ingenue atque ab omni vinculo servitutis secure permaneant, tanquam si ab ingenuis parentibus fuissent

procreate vel nate, eandemque pergant partem quamcumque voluerint, habeantque portas apertas; ea tamen ratione ut ad altare sancti Gorgonii, in Gorziensi monasterio, ad festivitatem predicti martyris, que est v idus septembris, unum denarium ad luminaria concinnanda unaqueque illarum persolvat, masculus vero duos denarios, et simili modo omnes quicumque ex semine illarum procreati fuerint; et postea nec michi neque successoribus meis ullum debeant noxie conditionis servitium, sed omnibus diebus vite illarum subcepta plenissima ingenuitate secure existant; suum autem peculiare quod habent aut adquirere potuerint sibi habeant concessum. Si quis vero de heredibus vel proheredibus meis hanc ingenuitatem irrumpere temptaverit (quod fieri minime credo), caveat ut proinde iram Dei non incurrat, presensque ingenuitas omni tempore firma et stabilis permaneat, stipulatione subnixa.

Actum in Gorzia, sub die xvi kalendas junii, anno ab incarnatione Domini DCCCCXLV, indictione iii, anno vero regni Ottonis regis x, regnante domino nostro Jhesu Christo, cujus regnum et imperium sine fine permanet in secula seculorum.

Signum Immine; Signum Alsaroi; † Odelberti; † Birardi; † Eldelaici; † Berengerii; † Martini; Signum domni abbatis Agenoldi; † Radingi decani; † Everberti, custodis ecclesie; † Johannis portarii; † Huberti camerarii; † Folberti circuitoris; † Odelberti; † Winemanni; † Berengarii cancellarii; † Bernacri, qui hanc cartulam scripsit.

101.

946.

Othon, roi de Germanie et de Lorraine, concède à Leva et à son fils Conrad l'église de Lagney (?) avec des biens au même lieu.

Cartulaire, p. 144 et 145. — Publ. parmi les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 65, par Jeantin, *Chron. de l'Ardenne*, I, 34, et dans les *Monumenta Germaniæ historica* (Diplomatum regum et imperatorum Germaniæ t. I, p. 159).

Donatio Ottonis regis de Lunguilirt.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Otto, auxiliante Dei clementia, rex. Noverint omnes fideles nostri, presentes scilicet et futuri, qualiter nos, per interventum dilecti nostri ducis Cuonradi ceterorumque fidelium nostrorum, cuidam matrone nomine Leve, et filio ejus Cuonrath vocato, quasdam proprietatis nostre res, judicio scabiniorum nostre sublimitati jureficatas, in proprium concessimus, id est, hobas x ecclesiamque in villa Lunglier nuncupata, in comitatu Rodulfi comitis, in Osninge, sitas, cum omnibus appendiciis et adjacentiis suis ad easdem x hosbas rite pertinentibus, jure perhenni, in perpetuum in proprium, curtilibus, edificiis, terris cultis et incultis, agris, mancipiis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumve decursibus, molendinis, piscationibus, viis et inviis, exitibus ac reditibus, quesitis et inquisitis et inquirendis, mobilibus et immobilibus. Jussimus quoque hoc inde presens preceptum conscribi, per quod volumus firmiterque jubemus ut memorata domna Leva, et filius ejus Conrath, de his omnibus nostro dono illis in proprium concessis, amodo et deinceps omni tempore liberrimam habeant potestatem habendi, donandi, vendendi, commutandi, seu quicquid voluerint exinde faciendi. Et

ut hec auctoritas nostra firma et inconvulsa permaneat, manu nostra firmavimus, anuloque nostro insigniri precepimus.

Actum anno ab incarnatione Domini D CCCC XLVI, indictione IIII, regnante pio rege Ottone anno XI.

102.

Gorze, 946.

Gerongus vend à l'abbaye de Gorze la terre qu'il possède sur les rives de l'Orne, entre Beaumont (?) et Laneutville (?).

Cartulaire, p. 145 et 146.

De terra quam vendidit Gerungus.

Magnifico in Christo fratri Aginaldo, abbati, et preposito ejus Odolberto, pariter emptoribus, ego itaque Gerongus, venditor. Mea spontanea voluntate constat me vendidisse terram ex proprio meo, super fluvium qui dicitur Orna, inter Montem Bivonis et Langei villa. Ex uno latere tenet Sanctus Gorgonius et ex altero Sanctus Martinus, ex media fronte predictus Gerongus. Et accepi a vobis precium sicut inter nos placuit atque convenit, hoc est in argento solidos XV; ea ratione ut post hunc diem habeatis jus habendi, tenendi, vendendi, commutandi, donandi, vel quicquid exinde elegeritis faciendi liberam et firmissimam in omnibus habeatis potestatem. Si quis vero de heredibus vel proheredibus meis hanc venditionem a me factam infringere temptaverit, centenos proinde siclos persolvat, et deinceps nec ego nec aliquis heres meus ea fruatur. Et ut hec venditio firma permaneat, manu propria ipsam firmavi, stipulatione subnixa.

Actum Gorzie, anno ab incarnatione Domini quo supra.

Signum Gerongi, qui hanc cartam fieri et firmare rogavit; † Gontranni; † Engizonis diaconi; † Haimonis; † Erre-

baldi; † Bosonis; † Girardi; † Milonis; † Hadewardi; † Gamutii; † Stephani; † Geltranni; † Geomari; † Ineri; † Tietmari; † Warcheri; † Gisleranni; † Gainardi; † domni abbatis Aginaldi; † Odolberti prepositi; † Randici decani; † Everberti custodis; † Teutheri; † Winemanni; † Erchengeri; † Bernacri. Signum Rainelmi, qui hanc cartam scripsit et subscripsit.

103.

946.

Hamedeus vend à l'abbaye de Gorze une pièce de terre à Waville.

Cartulaire, p. 146 et 147.

De vinea quam vendidit Hamedeus.

Amabili in Christo Aginaldo, abbati, et preposito ipsius Odolberto, ego itaque Hamedeus venditor. Constat me vobis vendidisse petiam unam de terra in Enwaldi villa, de meo proprio, que habet VII perticas de lato et XX de longo; que pertica habet pedes XIX et dimidium; ex uno latere tenet Tietfridus, et ex una fronte Sanctus Gorgonius, ex alio latere strata publica. Et accepi a vobis precium, sicut inter nos placuit atque convenit. Et ita vendidi ut post hunc diem habeatis jus tenendi, vendendi, commutandi, vel quicquid exinde elegeritis faciendi liberam et firmissimam in omnibus habeatis potestatem. Si quis vero de parentibus meis vel heredibus hanc venditionem infringere temptaverit, iram proinde Omnipotentis incurrat. Et ut hec carta firma et stabilis permaneat, manu propria subterminavi, et bonis hominibus firmare precepi, cum stipulatione subnixa.

Actum anno quo supra.

Signum Hamedei, qui hanc cartam fieri et firmari roga-

vit; Rimioldi prepositi; † Bergerinni; † Harmodi; † Herpaldi; † Signum domni abbatis Aginaldi; † Odoboldi prepositi; † Randinci decani; † Floberti; † Everberti; Rodaldi; Teutheri; † Winemanni; Signum Rainelmi, qui hanc cartulam scripsit.

104.

Gorze, 947.

L'abbaye de Gorze donne à quatre hommes de Saint-Pierre de Trèves un manse à Assoncourt en échange d'un autre à Lagney (?).

Cartulaire, p. 147 et 148.

Commutatio inter Agenaldum abbatem et quosdam homines Trevirenses.

Ordo rationis jure expostulat ut quotiens mundanarum rerum probabilis commutatio certum obtinere nititur tramitem, adhibita inviolabilis caritatis exibitione, illud quod invicem largiflua caritas impertiri non abnuit scriptis omnimodis roboretur; unde et quod prudentissima sanxit antiquitas nec minus fragilioris evi posteritas, hoc idem inconvulsa apicum adnotatione firmare satagit, quatinus rationabiliter collata nulla postmodum possint rerum varietate turbari. Quamobrem placuit atque convenit inter Agenaldum, abbatem, et fratres monasterii Gorziensis, et quosdam homines Trevirenses ex familia Sancti Petri, ut per consensum et licenciam domni Henrici, archiepiscopi, quasdam res, pro ambarum partium oportunitate, inter se commutare deberent; quod ita et fecerunt. Dedit igitur memoratus Agenaldus, abbas, ac fratres predicti monasterii hominibus Sancti Petri, Berardo, Luoberto, Luonio atque Witero, in villa que dicitur ad Ansani curtem mansum I, habentem in longum perticas IX,

et in latum perticas v; ipsaque pertica habet pedes xix et dimidium longitudinis; ad quem aspiciunt de terra aratoria ancinge vi, et de prato ad colligendum fenum karratas iii, insuper de terra residua perticas xxv; que terra ita terminatur : ex uno latere terra Sancte Marie Virdunensis ecclesie, ex alio terra Sancte Marie Lugdunensis monasterii, ex una fronte terra Sancti Petri Treverensis, ex alia Sancti Martini super fluvium Moselle; juxta quos fines partem quandam de silva, prout competebat, tribuit. Econtra vero dederunt predicti homines, in comitatu Gerbecinse, supradicto Aginaldo abbati, juxta villam Lannei mansum unum, habentem in longum perticas novem et in latum perticas v, ad que aspiciunt similiter ancinge vi, et de prato ad colligendum fenum karratas iii, et insuper de terra residua perticas xxv, et insuper de silva juxta quantitatem silve superioris; que terra ita terminatur : ex omnibus partibus in longitudine et latitudine terra Sancti Gorgonii; ea ratione ut a die presenti in futuro quicquid pars alteri contulit parti jure hereditario succedat, et de collatis unaqueque pars quicquid facere decreverit, videlicet habendi, tenendi, donandi, vendendi, commutandi, in omnibus libero pociantur arbitrio. Et ut hec commutatio firma permaneat, manu propria roboravimus, stipulatione subnixa.

Actum in Gorziensi monasterio, anno ab incarnatione Domini D CCCC XLVII, indictione v, epacta xxvi, concurrente iiii, anno xii regni imperatoris Ottonis.

† Signum domni archiepiscopi Henrici; Signum domni abbatis Agenaldi; Signum Odolberti prepositi; † Eridici advocati; Signum Sigiberti prepositi; † Radinci decani; Signum custodis; Signum Folberti; Adcrolti decani; S. Wichfredi; † Decotonis; S. Rodaldi celerarii; S. Girardi; † Rainelmi, qui hanc cartulam scripsit.

105.

Gorze, 949.

Godo affranchit le serf Ragenerus avec toute sa famille, à charge de payer un tribut annuel pour l'entretien du luminaire de l'autel de saint Gorgon, en l'abbaye de Gorze.

Cartulaire, p. 148 et 149.

Donatio Godonis.

Cum fragilitati humane varii casus accidunt, et unusquisque finem vite sue ignorat, ita agere debet quasi omni hora se cogitet hinc transiturum, ne interveniente negligentia, circa finem imparatus, sine aliquo respectu boni operis de seculo migret; et quamdiu in sua potestate homo consistit, preparare sibi viam salutis debet, per quam ad eternam beatitudinem pervenire valeat. Quapropter ego in Dei nomine Godo, cogitans pro Dei intuitu et anime mee salute ut veniam delictorum meorum in futuro adipisci merear, et in die futuri examinis ante tribunal Christi adsistens, illam desiderantissimam Domini vocem audire valeam : « Venite, benedicti patris mei, percipite regnum, » absolvo famulum ac servum meum Ragenerum statim ab hodierna die, et post decessum meum, patrem et matrem, fratres et sorores predicti Rageneri, quorum nomina hec : Sarowardus, Aldrada, Hardoinus, Gelsinda, Isengardis, Erildis. Similiter absolvo ab omni vinculo servitutis, ut bene ingenui atque securi permaneant, tanquam si ab ingenuis parentibus fuissent procreati vel nati, eandemque pergant partem quamcumque voluerint, habeantque portas apertas; ea tamen ratione ut ad altare sancti Gorgonii, cui eos trado atque transfundo, quod est in Gorziensi monasterio, singulis annis, ad festivitatem predicti martyris, que est v idus septem-

---

Nogent-le-Rotrou, imprimerie Daupeley-Gouverneur.

METTENSIA

II

MÉMOIRES ET DOCUMENTS

PUBLIÉS PAR LA

SOCIÉTÉ NATIONALE

DES ANTIQUAIRES

DE FRANCE

FONDATION AUGUSTE PROST



PARIS

C. KLINCKSIECK

LIBRAIRE DE LA SOCIÉTÉ

11, RUE DE LILLE, 11

1899

Fascicule 2.

EXTRAIT

DU

TESTAMENT DE M. AUGUSTE PROST.

(Paris, 7 février 1894.)

Art. II. — Je donne à la Société nationale des Antiquaires de France, dont je fais partie, la somme de cent mille francs, à placer, pour aider de son produit ladite Société dans ses publications. Cette donation est faite aux conditions suivantes :

La Société des Antiquaires de France publiera chaque année un volume, ou au moins un fascicule, contenant, ne fût-ce que par portions successives et se reliant par leur pagination, soit des documents, soit des travaux sur l'histoire de Metz et des pays voisins. Ces publications pourront être également consacrées à des réimpressions du même genre, jugées utiles; elles seront distinctes des autres publications de la Société.

Les volumes et fascicules publiés annuellement ainsi seront toujours, quelque minime qu'en soit l'étendue, précédés d'un titre, qui en indiquera le sujet spécial, et au recto duquel figurera en tête le mot METTENSIA, avec un numéro d'ordre et la date de publication; au verso de ce titre sera uniformément reproduit, en petits caractères, le texte du présent article II de mon testament, jusqu'à et y compris les derniers mots.

Le *texte* du Cartulaire de Gorze est publié en deux fascicules; un troisième fascicule contiendra l'*introduction*, les *notes* et la *table*.

---

bris, unusquisque illorum ad luminaria concinnanda denarios quinque persolvat, femina vero duos, et deinceps nec michi, nec successoribus meis, ullum debeant noxie conditionis servitium, sed omnibus diebus vite illorum, cum filiis et filiabus quos procreaverint, sub certa plenissimaque ingenuitate liberi existant. Suum vero peculiare alodium, scilicet quod jacet ad curtem Adelheri, et omnia que habent aut abhinc adquirere potuerint, propter malorum hominum insidias, jam dicto monasterio subicimus; illis tamen jure legitimo sit concessum. Si quis vero de heredibus vel proheredibus meis hanc ingenuitatem (quod minime fieri credo) irrumpere temptaverit, caveat ut proinde iram Dei non incurrat, presensque ingenuitas omni tempore firma et stabilis permaneat stipulatione subnixa.

Actum in Gorziensi monasterio, anno ab incarnatione Domini DCCCCXLIX, indictione VII, epacta XVIII, concurrente VII, anno XIIII Ottonis imperatoris, regnante domino nostro Jhesu Christo, cujus regnum et imperium sine fine permanet in secula seculorum.

† Signum Godonis, qui hanc cartulam ingenuitatis fieri et firmare rogavit; Signum Raginberti; Signum Teudoldi; Signum Albrici; Signum Teudini; Signum Teodonis; Signum Eudonis; Signum Wiperti; Signum Gihardi; Signum domni abbatis Aginaldi; Signum Johannis prepositi; Signum Folberti; Signum Ysaac; Signum Huberti; Signum Teuteri; Signum Lodouini; Signum Bergerimni. Ego Geremannus, indignus levita, jubente domno abbate nostro Agenaldo, hanc cartulam scripsi.

106.

Destry, 957.

Raginbaldus donne à l'abbaye de Gorze un domaine à Vertignécourt, dans le Saulnois.

Cartulaire, p. 150 et 151. — Publ. parmi les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 70.

DONATIO RAIMBALDI DE VITRENECURT.


Quantum humanus intellectus valet, mente sagaci excogitare oportet ut unusquisque, pro salute anime sue, sollicite evigilet quatinus districtus judex neminem reperiat imparatum dum venerit, et ne inveniat quod dampnet, sed potius quod coronet. Hoc est ut unusquisque, dum in proprie libertatis subsistit jure, de caducis et transitoriis in eterna tabernacula vitam sibi querat mercari perpetuam, et retributorem sibi faciat Deum, ut inter justorum consortium desiderabilem obtineat locum. Hoc etenim ego Raginbaldus, filius Ragimbaldi et Heriburgis, mente revolvens sepe, et quoniam, sicut scriptum est, res ecclesie vota sunt fidelium, patrimonia pauperum et precia peccatorum, cogitavi ut aliquid de rebus a parentibus supradictis michi concessis, ob remedium animarum suarum, et ut ipse veniam de peccatis meis adipisci queam, ac ut in die districti examinis securius adsistens illam desiderabilem Domini vocem audire valeam : « Venite, benedicti patris mei, percipite regnum, » ad partem sancte Gorziensis congregationis darem ; quod et feci. Tradidi namque per manus fidelium meorum lege Salica viventium, Winemanni videlicet et Wachini atque Girvulfi, predium meum in pago et comitatu Salnensi situm, Vitrenei curtim dictum, cum omnibus suis edificiis et appendiciis, tam in domibus quam in mansis, ecclesiis, campis,

pratis, vineis, silvis, pomariis, villis, villulis, mancipiis utriusque generis, pascuis, piscatoriis, aquis aquarumve decursibus, pontibus, ingressibus et regressibus, mobilibus et immobilibus, et in cunctis que dici vel nominari possunt ad ipsam curtim pertinentibus, tam de concessis a parentibus quam a me adquisitis, ut quemadmodum ego illis dictum tradidi alodium, ita ipsi parti altaris sancti Petri, quod est in prefato Gorziensi monasterio, ubi etiam venerabile pignus, corpus scilicet sancti Gorgonii habetur, unde quoque sanctitatis memorie Agenoldus esse dinoscitur abbas, traderent et vestirent; ea scilicet ratione ut quamdiu Fredelindis, conjunx mea, vixerit, usu possideat fructuario, nullum ex eis habens pontificium minuendi, quin potius augendi, emeliorandi, restituendi, ac proinde annis singulis, in festivitate sancti Gorgonii, que est v idus septenbris, pro vestitura argenti libram persolvat. Post ejus quoque disscessum, quando quidem Deus voluerit, statim et absque alicujus contradictione, he res cum suis omnibus ad jus et ditionem abbatis dicte congregationis et ad prebendam monachorum inibi Deo degentium revertantur, habeantque talem ex eis potestatem qualem de reliquis ad eorum prebendam pertinentibus. Si autem ex ipso censu negligens aut tarda extiterit, legemque facere distulerit, similiter faciant. Deprecatus sum insuper ut hujus facti scriptum in pleno mallo levaretur, et a comite, scabinis, aliisque Deum timentibus firmaretur. Si autem aliquis heredum meorum adversus hanc donationem a me factam insurgere voluerit, eamque infringere temptaverit, prius iram Dei incurrat, ac sancte Dei ecclesie, cui vim intulerit, libras auri c, argenti mille persolvat, et quod repetit evindicare non valeat.

Actum in villa Dexteriaca, in pleno mallo, anno ab incarnatione Domini DCCCCLVII, indictione xv, epacta XVII, concurrente III, anno XXI regni Ottonis imperatoris.

† Teutberti comitis. Isti sunt scabinii : † Sigiberti;

† Raginardi; † Hugonis; † Waltarii; † Ripaldi; † Warnardi; † Angelbaldi; † Liuzonis; † Aldrici; † item Waltarii; † Roberti; † Adelberti; † Formari; † Ottonis. † Ego Adelardus, presbiter indignus, ad vicem Nortmanni cancellarii scripsi. [Adelardus scripsi et subscripsi.]



107.

959.

La comtesse Hildegundis fait aux douze chanoines qu'elle a établis dans l'église de Saint-Pierre d'Amel donation de cette église, avec d'autres biens à Amel et ailleurs, dans le Verdunois et le pays de la Moselle.

Cartulaire, p. 151-153. — Publ. parmi les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 74.

Donatio Hildgundis commitisse de Amella.

Noscat omnium fidelium clericorum et laicorum tam presentium quam et futurorum industria, quod ego Hildegundis, comitissa, anno ordinationis domni Wicfridi, sancte Virdunensis ecclesie antistitis, primo, reminiscens vocem Domini dicentis : « Facite elemosynam et omnia munda sunt vobis, » pro remedio anime mee et anime filii


mei Rodulfi, necnon et pro absolutione parentum meorum, stabilivi duodecim canonicos in ecclesia sancti Petri, in pago et comitatu Virdunensi sita, et ecclesie sancte Marie omniumque canonicorum Virdunice sedis testimonio, quatinus per succedentia tempora inibi, tam ipsi quam successores sui, Deo valeant servire, et pro animabus nostris clementiam Dei continuatim studeant implorare. Quapropter usibus illorum prefatam ecclesiam sancti Petri, cum omni decimatione sua, atque abbazia in eadem villa, Amella nominata, conjacente, et rebus nostre proprietatis concessimus; de qua sunt mansi VIII, cum mancipiis utriusque sexus, et silvam ad saginandum porcos C. Dedimus illis preterea servientes VIII, et molendina duo in eadem villa sita. Simili etiam modo dedimus victui illorum villam unam, Grimineias vocatam, in eodem pago Waprensi et comitatu Virdunensi, cum ecclesia in honore sancte Marie stabilita, et molendino uno, et silva, et mancipiis utriusque sexus, et pratis, et omnibus adjacentiis ad eandem villam pertinentibus. Pari etiam modo dedimus eis, in eodem pago et comitatu, ecclesiam unam in honore sancti Martini constructam, cum pratis et cultura ad eandem ecclesiam pertinente. Dedimus etiam illis, in pago et comitatu Moslinsi, de terra vinifera mansos V, cum mancipiis utriusque sexus, de quibus mansis conjacent ad Bodingias duo, et ad Adingias unus, et ad Morlingias unus, et ad Fontes unus, et ad Waldonis curtem pratum unum et campum unum. Et ut hoc noticie testamentum firmum permaneat, manu propria illud firmavimus, et manibus domni Wilefridi, episcopi, suorumque fidelium, clericorum et laicorum, roborandum esse decrevimus, cum stipulatione subnixa.

Actum anno ab incarnatione Domini D CCCC LIX, anno XXIII regni Ottonis imperatoris.

Testes : Rodulfus, Berardus, Betto, Gotbertus, Bernerus, Fredericus, Adelardus, Ledowinus, Milo, Tederi-

cus, Gislebertus, Almarus, Dodo, Girvardus, Rainardus, Algerus. Signum domne Hildegondis, que hoc noticie testamentum fieri et firmare rogavit. Signum domni Wicfridi episcopi.

Eirvivoldus cancellarius scripsit et subscripsit.



108.

Gondreville, 959.

Frédéric Ier, duc de Lorraine-Mosellane, termine un différend entre l'abbaye de Gorze et un homme illustre nommé Aquinus, à l'occasion de biens à Rembercourt, Belchamp, Épinonville (?), etc.

Cartulaire, p. 153-155. — Publ. parmi les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 73.

De Enplonis villa.

Omnis rei diffinitio et corrogata, ut remur, propriis gaudet fulciri titulis, quatinus cuncta empta redargutionis molimine recto ut reliquum dirigatur tramite. Idcirco ego Fridericus, gratia Dei et electione Francorum dux, cunctis sancte Dei ecclesie fidelibus, omniumque nobilium parentibus, presentibus scilicet et futuris, patefacere cupio quoniam, tempore nostri ducatus, nostram quidem vir illustris nomine Aquinus, una cum conjuge sua Adelindi dicta, adiit majestatem, proclamans quod rebus quibusdam, in pago et comitatu Scarponinse, et Wabrensi, Virdunensi quoque, necnon villis et finibus, id est, ad Rivo-

lum, ad Eplonis villam, ad Raginberti curtim, et ad Bellum campum, quibus licite pro mundeburdo conjugis dicte, uti debebat, ad censum trium unciarum, a domno abbate Agenoldo et congregatione Gorziensis monasterii, cui idem venerabilis pater preerat, injuste privaretur. Nos igitur, secundum quod scriptum est, rem ignotam diligenter investigare cupientes, et nullam in judicio, juxta Domini preceptum, potentis vel pauperis personam accipientes, digne memorie predictum super hac re studuimus interpellare virum; qui solite mansuetudinis jura non deserens, et utpote qui propria pro Christi amore, juxta arcius Ewangelii preceptum, una cum voluptate carnis reliquerat, aliena invadere nimium abhorrens, digno veritatis tramite ac pio responsionis moderamine, cujus proclamationem cassavit, ostendens videlicet Bivinum, avum memorate Adelindis, secundum morem precarie supra notati loci quasdam res accepisse, hoc est : Epplonis villam et Bellum campum, suis tantum temporibus, et conjugis ejus, et unius eorum prolis vocitati Ursonis, eo tenore ut post horum decessum res iste et he que ipsis in villa Rivoli et in Raginberti curti contingebant, absque alicujus contradictione ad eundem venerabilem locum et fratres ibidem Deo famulantes reverterentur; quod et fecerunt, donec domnus presul Wigiricus, inter cetera que larga manu suis tribuebat fidelibus, interfecto Ursone, in cujus vita dicta finierat precaria, conjugi ejus Warne jure prestaret beneficii sub exactione predicti census; qua vita decedente, tali pro occasione Urso, filius ejus, patris equivocus, quoad vixit, non multo tempore, injuste utrasque partes sibi usurpavit; quod et simili modo presens Adelindis, soror ejus, necnon et advocatus illius, Aquinus, agere conati sunt. His itaque prelibatis multorum testimonio a patre venerando in conspectu nostro adprobatis, et econtra illis obsistere nitentibus, consultu nostro et clarorum virorum, et maxime quoniam servum Dei non opor-

tet litigare, nec per forenses conventus sepe apparere, gratia pacis quam totis sectabatur nisibus, et ut cuncta controversie mordacitas resecaretur, ex sumptibus sancte ecclesie illis XII tribuit libras argenti. Quibus acceptis, facta moris stipulatione, sese cunctosve eorum heredes his proclamatis exuerunt rebus. Verum, ne deinceps quoquomodo aliqua sepedicte ecclesie a quoquam inferri posset calumnia, hoc memorie scriptum exinde facere statuimus, nostroque in conspectu et comitum ac multorum hominum recitatum, manibusque propriis roboratum, et ab illis auctorizatum dedimus.

Actum in Gondulfi villa, anno ab incarnatione Domini D CCCC LIX, indictione II, epacta IX, concurrente V, anno regni Ottonis imperatoris XXIIII.

✝ Friderici ducis; ✝ Widonis; ✝ Teutberti; ✝ Roberti; ✝ Rotfridi; S. Gisleberti comitis; Signum Dacari; item S. Gisleberti comitis; ✝ Erlebaldi; ✝ Ragimbaldi comitis; ✝ Richardi; ✝ Odelrici abbatis; ✝ Aquini; ✝ Adelindis, uxoris ejus; Framberti; ✝ Wigirici; ✝ Huberti, filiorum Adelindis.

Ego Adelardus cancellarius scripsi.

109.

Gorze, 28 novembre 960.

Adelardus donne à l'abbaye de Gorze un manse à Buret, avec une part de l'église du même lieu, et deux serfs ; il se réserve l'usufruit dudit manse, sa vie durant, et déclare que son frère Immo a vendu à l'abbaye ce qu'il possède audit lieu de Buret.

Cartulaire, p. 155 et 156.

De manso quem dedit Adelardus in Bure villa.

Cum fragilitati humane varii casus accidunt, et unus-

quisque finem vite sue ignorat, ita agere debet quasi omni hora se cogitet hinc transiturum, ne interveniente negligentia, circa finem imparatus, sine aliquo respectu boni operis de seculo migret. Quapropter ego Adelardus, cogitans pro Dei intuitu et anime mee remedio ut veniam delictorum meorum in futuro adipisci merear, trado ad altare sancti Gorgonii, quod constitutum est in Gorziensi monasterio, ubi preest venerabilis abbas Aginoldus, de meo proprio mansum unum in villa Buriasco, qui terminatur ita : ex utraque parte tenet Immo, frater ejus, in longitudine, in una fronte terra Sancti Hilarii, ex alia fronte stra[ta] publica; insuper quicquid ad ipsum mansum pertinet, de terris aratoriis, pratis, silvis, cultis et incultis, do atque transfundo, ea tamen ratione ut, diebus vite mee, usu fructuario illum possideam; post meum vero decessum, solidum illum atque immobilem teneant. Insuper etiam trado mancipia II his nominibus : Johannam, Osannam; ea ratione ut ad altare sancti Gorgonii annis singulis duos denarios persolvant; et deinceps nec michi neque successoribus meis ullum debeant noxie conditionis servitium; quod si filios aut filias genuerint, eadem lege qua et ceteri sancti Gorgonii homines bene ingenui permaneant. Dono etiam partem ecclesie in supradicta villa Buriasco, que villa est sita in pago Scarminse, a die presenti, que michi a progenitoribus meis devenit. Frater quoque meus supradictus Immo suam particulam ipsis monachis vendidit, pro qua ab eis in precio IIII solidos accepit; atque ut hec pactio firma et stabilis permaneat, statum esse voluerunt quatinus singulis annis IX modios vini similiter et novem modios frumenti darentur.

Actum in Gorziensi monasterio, sub die IIII kalendas decenbris, anno ab incarnatione Domini DCCCCLX, indictione III, epacta XX, concurrente VII, anno regni Ottonis regis XXV.

Signum Adelardi, qui hanc cartulam fieri et firmare

rogavit; Signum domni abbatis Agenoldi; Signum Odolberti prepositi; † Radinci decani; † Rodaldi cellerarii; † Eucberti custodis; † Odolmari portarii; † Azilini; Signum Immonis; † Maineri; † Geltramni; † Rinvoldi; † Bertulfi; † Ainardi; † Rudrici; † Feruwini; † Otulfi; † Hunuwini; † Inheri; † Hubaldi; † Walteri; † Haimonis; † Anselmi. Signum Rainelmi qui hanc cartulam scripsit.

110.

Gorze, 967.

L'abbé et les moines de Gorze donnent à Harduinus et à sa femme une vigne à Arnaville, en échange de deux autres dans le Scarponais.

Cartulaire, p. 156-158.

COMMUTATIO INTER MONACOS GORZIE ET HARDUINUM LAICUM DE TERRA IN QUA CAPELLA STAT ARNADI VILLA.

Ordo rationis jure expostulat ut quotiens mundanarum rerum probabilis comutatio certum nititur obtinere tramitem, adhibitą inviolabilis caritatis exhibitione, illud quod invicem largiflua caritas impertiri non abnuit scriptis omnimodis roboretur; unde et quod prudentissima sanxit antiquitas nec minus fragilioris evi posteritas, hoc idem inconvulsa apicum adnotatione firmare satagit, quatinus rationabiliter collata nulla postmodum possint rerum varietate turbari. Quamobrem, placuit atque convenit inter Agenaldum, abbatem, ac fratres ex congregatione Gorziensis monasterii sancti Petri seu sancti Gorgonii, et quendam laicum nomine Harduinum, ut per consensum et voluntatem uxoris sue, nomine Bercardis, ac filiorum ejus, ex cujus parte obvenerat ipsi Harduino hereditas illa, quasdam res pro ambarum partium oportunitate

inter se commutare deberent; quod ita et fecerunt. Dedit igitur memoratus Agenoldus, abbas, et fratres predicti monasterii jam fato Harduino, atque uxori ejus Bercardi, de rebus sanctorum apostolorum Petri ac Pauli, almique Gorgonii, in pago et comitatu Scarponinse, in Alnaldi villa, vineam unam que dicitur ad Nuclearios, habentem inferius perticas IX et pedes X, ex una fronte perticas IX, ex alia fronte superiori perticas VII, in fronte extrema perticas IX. In ipsa eadem vinea, ut terminum ejus ad integrum compleret, dedit ei petiam vinee habentem de una fronte perticas V, ex alia parte similiter, ex uno latere in latitudine perticas IX, econtra in alio latere perticas X, ex tribus partibus terra est Sancti Gorgonii, ex quarta vero Sancte Marie. Econtra vero dedit jam prefatus vir Harduinus, et uxor ejus Berchardis, de rebus proprietatum suarum, ad partes ecclesie beatorum apostolorum Petri et Pauli almique Gorgonii, Agenaldo abbati ac fratribus predicti monasterii, in pago supranotato, vineam unam ubi construxerunt capellam in honore sanctorum martyrum Stephani atque Gorgonii, habentem subtus, versus viam publicam, perticas VIII, ex uno latere inferius perticas XI, in fronte superiori perticas VII et pedes VII, ex alio latere, versus terram Sancte Marie, perticas XIIII. Item in alio loco dederunt alteram vineam habentem in latitudine perticas VII, ex una fronte perticas IIII et pedes X, ex alia fronte similiter, ex quarta parte perticas VIII et pedes XII. Disterminatur autem ita : superior sui pars terra Sancti Petri est, latera partium ambarum Sancte Marie, quarta pars semita angusta secernitur; intra has predictas mensuras per omnia totum et ad integrum; ea ratione ut, a die presenti in futuro, quicquid pars juste et rationabiliter alteri contulit parti jure hereditario succedat, et de collatis unaqueque pars quicquid facere decreverit, videlicet habendi, tenendi, donandi, commutandi, vendendi, in omnibus libero potiatur arbitrio. Et ut hec commutatio

omni tempore firma et stabilis permaneat, manibus illam roboravimus nobilium virorum quamplurimum, et insigniri fecimus, stipulatione subnixa.

Actum in monasterio Gorziensi, anno ab incarnatione Domini DCCCC LXVII, indictione x, epacta VII, concurrente I, anno XXXII regni Ottonis imperatoris.

111.

Limey, 2 juin 973.

Hamedeus donne à l'abbaye de Gorze des biens à Saint-Julien-lez-Gorze, Buret, etc., en remplacement de ceux que son père avait donnés à ladite abbaye à Waville.

Cartulaire, p. 158.

COMMUTATIO HAMEDEI DE EWALDI VILLA.

Notum sit omnibus hominibus fidelibus, tam presentibus quam absentibus, qualiter Hamedeus quidam nomine, vir nobilis, comcamium fecerit in Enwaldi villa ad monachos Gorzienses; quod non bene gestum, remotum est postea filio ipsius, dicto equivoce Hamedeo; qui, emendare cupiens, dedit cum consensu abbatis illius temporis, Johannis nomine, ac monachorum Gorziensium, duas perticas pro una in fine Bitinei; insuper partem ecclesie quam habuit Buriaco, ac molendinum Bliteri super fluviolum Seiron, cum vinea terrisque adjacentibus; preterea ad Sanctum Julianum mansum unum cum vinea, et quicquid ibidem habuit in fine Homei; ea scilicet ratione ut deinceps queque pars pro libitu suo voluerit, potestatem habeat habendi, tenendi, commutandi, vel quicquid inde facere voluerit.

Et ut hec commutatio firma maneat, manu comitis Rainardi ac scabiniorum ejus roborari fecimus, in pleno mallo, apud Lumer, sub die IIII nonas junii, stipulatione

subnixa, anno ab incarnatione Domini DCCCC LXXIII, indictione I, anno autem primo Ottonis imperatoris junioris in regno Lotharii, sub duce Friderico, comite Rainardo, advocato Hamedeo atque scabino.

Signum Hamedei, qui hanc cartulam commutationis fieri et firmare rogavit; Signum abbatis Johannis; Signum Teutheri prepositi; † Signum Winemanni; † Signum Frotgeri; † Signum Volferi.

112.

Trèves, 22 août 973.

L'empereur Othon II donne à l'abbaye de Gorze des biens contigus à ceux qu'elle possède déjà à Cattenom (?).

Cartulaire, p. 158 et 159. — Publ. dans les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 81, et dans les *Monumenta Germaniæ hist.* (Diplomatum regum et imperatorum Germaniæ t. II, p. 64).

DAGANEN.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego divina protegente clementia Otto, imperator augustus. Noverit omnium industria fidelium nostrorum, tam presentium quam et futurorum, qualiter vir vita et moribus egregius, Johannes scilicet, [abbas] monasterii quod Gorzia vocatur, sancte sedi Mettensi subditum, quia in villa Dageneid vocitata aliquid nostri juris dinoscebamur habere, partem vero quandam fratres sub providentia ejus degentes optinebant sibi a viro quondam libero traditam, nomine Gisleberto com[ite], expeciit a nostra clementia quatinus, pro remedio anime paterne ac pro successu divine et humane nostro prosperando, partem nostri juris que sue erat contigua ad subsidium fratrum sui monasterii conferremus. Cujus nos peticionem dignam et probabilem videntes, condonavimus de nostra proprietate,

in villa Daganeid, sita super fluvium Mosella, in pago Moslinsi, et in comitatu Judiciacensi, mansos duos et quartarium I ad predictum locum, cum appendiciis et mancipiis ad ipsos duos mansos pertinentibus, sub obtestatione divini nominis et nostri potentia imperii, ut nullus presentium aut futurorum hanc nostram donationem contraire audeat, aut loco quam prius a libero homine collatam acceperant alienare. Et ut hec nostre largitionis auctoritas firmior stabiliorque cunctis perpetim credatur, hanc cartam inscribi jussimus, anuloque nostro signatam manu propria subtus firmavimus.

Signum domni Ottonis imperatoris. (*Monogramme.*)

Willigisus, cancellarius, ad vicem Roberti archicapellani notavi.

Data XI kalendas septenbris, anno ab incarnatione Domini D CCCC LXXIII(I), indictione I, anno regni domni Ottonis XIII, imperatoris VI.

Actum Treveris.

113.

974 (?).

Jean, abbé de Gorze, concède à Giserannus le moulin de l'abbaye à Epinonville (?).

Cartulaire, p. 159 et 160.

De Eplonis villa.

Ego Johannes, annuente superne dispositionis gratia, Gorziensis cenobii abbas, congaudens omnium profectu christianorum, maxime nostre potestati subjectorum, vicemque beneficiis nobis fideliter servientibus rependere volens, concessi huic Giseranno molendinum quoddam nostrum Epplonis villa situm, vetustate et incuria undique collapsum, sua opera et studio reparatum, cum con-

silio ac favore seniorum fratrum loci nostri, Teutheri videlicet prepositi, Winemanni ministerialis, reliquorumque, hac tenoris causa interposita ut, unoquoque labentis temporis anno, xx duos modios parati et unum porcum ex eodem ad usus nostros persolvat molendino. Si vero ex memorato negligens extiterit servitio, emendato legaliter neglecto, liceat ei frui a nobis concesso.

Anno quo supra factum.

114.

Gorze, 14 septembre 977.

L'abbé de Gorze ratifie les acquisitions de terres faites par des hommes de l'abbaye à Flamersheim, dans le pays de Worms.

Cartulaire, p. 160-162.

De terris Wormacie pro muneribus datis.

Quicquid scripto intimatur et dignum apicum adnotatione censetur, totum hoc emendationi et correptioni presentium et futurorum debet proficere. Quapropter, ut hoc quod presenti kartali descriptione volumus corroborari fixum jugiter maneat et prosit, et ne aliquis ministerialium deinceps audeat, sine precepto senioris, aliquid terre juris fratrum alicui condonare vel vendere, scilicet ne accipiens utrumque juste amittat et quod dedit et quod inlegaliter aquisivit, notum omnibus esse volumus quosdam homines nostros de villa Flammereshem, que est in Wormatie partibus, nostros ministeriales, monachos videlicet et laicos, sepius illuc directos, adisse cum muneribus et servitiis, ut aliquid terre sibi concederent. Illi ergo ultra jussum aliquid molientes, et nimis indulgentia sua incauti, et eo quod longe esset factum latere putantes, quibusque petentibus partes, secundum suum libitum,

qualicumque munusculo accepto dederunt; et hoc de indominicatis terris. Dum hec itaque ad nostri noticiam pervenissent, contingentibus nobis in partibus illis advenire, dampnum nostrum videntes, omnino decreveramus in primis id destruendum perperam factum, sed iterum pauperum hominum laborem miserantes, consilio cum fidelibus nostris habito, quid facto opus esset in commune tractavimus. Unde quod communi assensu et consilio fratrum et fidelium nostrorum, et ipsorum multiplici rogatu pauperum hominum statuimus, his litterarum testimoniis notificamus, terras illas quas adquisierunt, per hanc cartam traditionis, solide teneant, possideant, habeant omni tempore, ipsi et posteri eorum et filii filiorum, per nostram donationem et omnium fratrum, sub tali censu et servitio quod juste inventum fuerit, et ipsius terre precium exigerit. Insuper et rogamus et petimus tam presentes quam futuros ut, sicut ipsi quicquid ratum gesserint firmum et stabile esse volunt, ita nostrum super hac re, propter Deum et pacem miserorum hominum, ut exoptata cunctis mortalibus quiete fruantur, velint inconvulsum manere factum.

Quod factum est tempore Ottonis, divi et augusti imperatoris, anno regni ejus v, et sub venerabili Mettensis urbis episcopo Deoderico, anno presulatus ejus xiii, in Gorziensi monasterio, sub die xiiii kalendas octobris, anno ab incarnatione domini nostri Jhesu Christi D CCCC LXXVII, indictione v.

Et hanc cartam soliditatis, secundum morem priorum, signi nostri et fratrum idem consentientium adnotatione corroborari subter curavimus.

Signum domni Odelberti abbatis, qui hanc cartam fieri jussit; Signum Theuteri prepositi; S. Angelranni decani; S. Salechonis; S. Beraldi; S. Herchengeri; S. Willebaldi cellerarii; S. Adelgeri; S. Adelberti; S. Angelramni; S. Bernacri, qui hanc cartam scripsit; Signum Adelberti

advocati; S. Wahini; S. Wargisi; S. Birardi clerici; S. Adelberti. Ista sunt nomina hominum quorumdam supramemoratam terram tenentium : Biraldus, Wachodinus, Muozo, Dancho, Azo presbiter, Willicho, Sicchilinus, Regilo, Azzilinus, Haimo, Brimilo, Woppo. Nomina scabiniorum : item Woppo, Willichinus, Waachlinus, Azomannus, item Regilo, item Brimilo. Signum Immonis, comitis palatii; Signum Birardi comitis; Signum Alardi comitis; S. Azzonis comitis; S. Bozelonis comitis; S. Folmari comitis; S. Hardonis comitis; Signum Hamedei, advocati loci.

Postquam ergo hanc rationem kartali descriptione firmavimus, contigit hos homines nostram misericordiam adire, ut sibi aliquid terre indominicate concederemus, et nequivimus contradicere ut misericordiam illis non impenderemus; servieruntque statim in presenti quantum potuerunt, et singulis annis in Pascha Domini censum in quatuor solidis denariorum statuerunt. Precamur ergo tam presentes quam futuros ut, sicut ipsi quod constituunt fixum et stabile esse volunt, ita propter Deum et quietem pauperum hoc nostrum factum inconvulsum et firmum permittant.

115.

977.

L'abbé de Gorze concède pour sept années à certains hommes un clos à la source du ruisseau de Gorze.

Cartulaire, p. 162 et 163.

CARTA ODILBERTI ABBATIS DE PLANTAT[IONE] NOV[A].

Quotiens dignum quid memorie geri demandaverit, cujusque oportunitas negotii presentium posterorumque hoc idem utique noticie palam fiat, quod sollers in re

hujuscemodi fieri censuit antiquitas, scriptis signando emulandi incumbit necessitas. Hoc itaque considerans, ego Odelbertus, annuente superni moderatoris gratia Gorziensis cenobii pauperibus Christi delegatus abbas, ac pro viribus ab ipso subrogatis, loco memorato ejusque incolis, undecumque gentium obsequio divinitatis coasscitis prodesse magis quam presse in omnibus desiderium habens, profectui quoque omnium hominum, maxime nostre potestati subjectorum, nobisque fideliter obsequentium congratulans, insuper et vicem fidelitati eorum recompensare pro posse satagens, concessi hominibus his quorum hec sunt nomina : Angelerus, Tietdinus, Constantius, Albencus, Savowardus, Harduinus, Evraldus, Nicherus, Seumaldus, Hunlaicus, Odolbertus, Johannes, Evorinus, Grimbaldus, Harmannus, Lambertus, Willivertus, item Harmannus, cum consensu et favore fratrum nostrorum prepositorum, Teutheri videlicet, Adelgeri, Herchengeri, Saleconis, Beraldi, Angelramni decani, Haderici cellerarii, Volchradi portarii, ac reliquorum diverse etatis, clausum quod capiti fluvioli Gorzie incombit, ad obedientiam attinens ipsius portarii, a predecessore suo Beraldo memorato jampridem deplantatum, ea tenoris gratia ut in septem annorum curriculo nil sumptuum a nobis accipientes, sed de suis propriis, omnia necessaria, tam in victualibus quam in cultura, subministrantes, quicquid in revolutione annorum predictorum reperiri poterit fructuum, liberi ex integro sibi vendicandi potestatem obtinebunt. Septem autem annorum decursis temporibus, uberiorem uniuscujusque vinee medietatem nostro mancipabimus juri, ipsis partem reliquam jure hereditario ad posteros suos transmittendam relinquentes, hac conditione interposita ut, si cogente qualibet necessitatis inopia, medietates ipsas a nobis sibimet perpetuo concessas distrahere fuerint compulsi, nullius alterius precium nostro audeant preferre, nisi forte (quod absit!) aut possibilitas

aut animus non fuerit nobis redimendi. Ceterum, quoniam ipse defectus humane condicionis permanere quemque mortalium diu non sinit, precamur successores nostros, patres futuros cui ex voluntate Dei presumus loci, ut causa amoris Dei, quemadmodum sua a sibi succedentibus servari que juste decreverint statuta, nostra eque super hac re non convellant decreta, qui revera nil sanius minusque aut majus excogitare valuimus. Ut autem hec descriptionis sceda firmum perpetuitatis obtineat robur, non modo nostra nostrorumque, verum etiam senioris nostri Deoderici, Mettensis episcopi, majorisque ville nomine Lancheri, et scabiniorum auctoritate firmavimus.

Actum anno quo supra.

116.

Gorze, 17 août 984.

L'abbé de Gorze confirme aux gens de Brouck (?) les privilèges dont ils jouissaient au temps où ils étaient sous la domination du comte Raimbaldus.

Cartulaire, p. 163-165.

PRIVILEGIUM DE BROC.

Ermenfridus, gratia Dei humilis abbas Gorziensis monasterii, omnibus sub imperio Christi pie viventibus. Notum sit omnibus presentibus et futuris quod homines de potestate Bruoch, que a pie memor[i]e Raimbaldo comite perpetuo possidenda tradita est patrono nostro sancto Gorgonio, nos satis humiliter petierunt quatinus ipsis firmitatem privilegii nostra auctoritate roboraremus, secundum legem qua ipsi regi, donec ejus fiscus erat a predicto Raimbaldo, predecessoresque ipsius servierunt. Nos vero rem hujusmodi intime pieque considerantes, indignum nimis judicavimus nostro tempore majori eos

quam antea gravari servitio. Unde collaudantibus ac suggerentibus cunctis fratribus nostris, quid servitii eatenus sub dominis secularibus ac sanctis predecessoribus nostris, Agenaldo scilicet, Johanne, Odelberto, agerent, ab ipsis placuit sciscitari, ac deinceps in reliquam etatem id eis privilegium certissimum firmari, ea lege atque conditione ut, si quis forte eos aliquid mentitos fore ac quicquam debiti servitiique celasse convinceret, predicta eorum postulatio funditus cassaretur. Servitium autem ab ipsis professum subter adnecti visum est : unusquisque mundialium debet VI denarios festo sancti Remigii, etiam si libere sit filius; in anno III placita observabit, si vero clamosus fuerit, donec ejus causa finiatur; infra potestatem triturabit duo modia avene et unum parati; falcem unam in prato mittet; semina unum diem in prato et unum faciet in agro; sortalis II falces mittet in prato. Sunt mansi XXI et III quarte; de quodam dimidio manso nil solvitur nisi de ancinga; integer mansus vehet VIII modia parati, aut XV diebus ante festum sancti Remigii aut XV postea; mansus et dimidius vehet carradam vini, et si preceptum fuerit, unam vendent. Si domus indominicata aut horreum destructum fuerit cum carpentario nostro ipsi restaurabunt. Post Natale Domini mansus quisque debet VIII denarios de oblationibus; in Pascha quisque mansus debet pullos II et ova XV. Septem mansi ex ipsis solvunt pullos IIII et ova XXX. In maio integer mansus debet II carradas lignorum. Mansus quisque duas perticas faciet de peitura ubicumque preceptum fuerit infra potestatem; manipulos CC harundinis mansus solvit festo sancto (*sic*) Johannis; quicquid creverit in ancingis et croadis totum triturabunt; in croada quaque dabuntur ex nostra parte II modia parati ad panem et VI ad bratium.

Actum Gorzie, publice, sub die XVI kalendas septembris, anno ab incarnatione Domini DCCCCLXXXIIII, indictione XII, epacta XV, concurrente III, in obitu Otto-

nis II et in adeptione regni Ottonis tercii; et ipso eodemque anno Deoderico defuncto, Adelbero II cathedram Mettensem accepit.

117.

1er mai 987.

L'abbé et les moines de Gorze font avec un nommé Amolbertus un échange de vignes à Scy.

Cartulaire, p. 165 et 166.

Commutatio inter Amolbertum et Ymmonem abbatem de vineis apud Sigiacum.

Majorum [h]aut contempnenda sanxit antiquitas ut quotiens quid dignum memorie, succedenti decedentique mortalitati, in dandis, accipiendis commutandisque mutuo negotiis convenerit, ut hoc ipsum posteritati minorum claruerit scriptis vulgandum consuevit. Hoc igitur de more consuetudinis complacuit atque convenit inter Immonem, abbatem Gorziensem, ac fratres loci, et Amolbertum quendam, laici habitus virum, pro ambarum partium oportunitate, pro quesitu locorum commodo commutare altrinsecus vineas quasdam in loco qui Sigiacus dicitur; quod et fecerunt. Dedit namque memoratus Amolbertus abbati Immoni Gorziensi, fratribusque loci, partem vinee in loco qui dicitur Sancti Remigii Campus, ubi tenet Sanctus Gorgonius in subteriori fronte, in superiori vero Sanctus Stephanus, et in uno latere Sanctus Gorgonius, in altero quidem nomine Warnadus; dedit in eodem Campo isdem Amolbertus et alteram partem vinee, ubi in una fronte tenet Sanctus Gorgonius, in altera ipse Amolbertus, et in uno latere Sarinus, in altero jam dictus Warnadus. Reddidit autem abbas Immo ac fratres

ejus memorato Amolberto vineam alteram in loco Fracturas dicto, ubi in subteriori fronte tenet Sanctus Gorgonius, in superiore est semita publica, et in uno latere tenet Sanctus Paulus, in altero est semita publica; ea tenoris causa ut, a die ipsa et deinceps, unaqueque pars tenendi, vendendi, commutandi accepti libero in omnibus potiatur arbitrio. Et ut hec traditionis manuscripta firma et inconvulsa per decedentes succedentesque posteritates permaneat, nostra nostrorumque complacuit roborari auctoritate, stipulatione subnixa.

Signum abbatis Immonis; S. Constantini, prepositi; S. Rodaldi, decani; S. Ermenrici, cellerarii; S. Willebaldi, ipsius obedientie ministri; S. Hillerici; S. Lietardi; S. Widelonis, judicis; S. scabiniorum palatii : Wilonis; S. Randinci; S. Girbaldi; S. scabiniorum ipsius potestatis : S. Rifridi; S. Blitaudi; S. Lodowini; Rodulfi; Walefridi; Aremberti; David; Signum Amolberti suorumque, Angleri scilicet majoris, Berengeri, Sarini, Huberti, Gisaldi, Rubaldi, Tiedaldi.

Actum anno ab incarnatione domini nostri Jhesu Christi DCCCCLXXXVII, indictione XV, kalendis maii, regnante Ottone III, filio secundi Ottonis imperatoris augusti, ducatum administrante Hlotharii regni Deoderico, anno presulatus domni Adelberonis episcopi III, comite palatii Zendebaldo.

Ego Seirardus, indignus monachus et diaconus, jussus edidi ac rogatus dedi.

118.

987.

Harbertus donne à l'abbaye de Gorze deux parts d'une saline à Vic.

Cartulaire, p. 166. — Publ. dans les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 83.

DONATIO HARBERTI APUD VICUM.

Ordinatissima Dei omnipotentis disponente clementia, satis utiliter hic mos inolevit, ut diversarum rerum commercia que in seculo fiunt, sive gratuite donationes, seu commutationes, vel etiam quarumcumque emptiones, quatinus nulla temporis longinquitate solvantur, scriptis pariter atque adstipulatoribus roborate firmentur. Unde et ego Harbertus, ob salutem animarum tam mee quam etiam parentum meorum, presentibus personis inferius adnotatis, contuli ad hoc monasterium sancti Gorgonii duas partes unius enee cum totidem partibus unius sessus, in potestate que dicitur Vicus, rectore ejusdem monasterii existante domno abbate Immone. Ejusdem vero donationis adstipulatores adhibiti sunt : Homerinus, advocatus, Abbricus, presbiter, Saroardus, Walterus, Tieduinus, Olmanus, Raimarus.

Actum anno quo supra.

119.

Varangéville, 986.

Immo, abbé de Gorze, garantit à un nommé Dodo la possession paisible du manse qu'il avait acquis d'Isimgerdis et de Bernierus, à Varangéville.

Cartulaire, p. 166-168.

DE QUODAM DODONE IN WARINGISI VILLA.

Ego igitur Immo, gratia Dei Gorziensi[s] monasterii abbas, cunctis fidelibus notum fieri volumus, tam presentibus quam et futuris, de quodam Dodone, qualiter hereditare ceperit mansum in potestate, unum in villa Varengisi, potestate videlicet sancti martyris Gorgonii. Bone

si quidem memorie Odelbertto, Gorzie presidente abbate, ac Theutero, preposito, contigit quandam feminam, Isimgerdim nomine, et Bernierum, filium ejus, quia eos paupertas attenuarat, ut mansum suum, quem a domino Johanne, abbate suo, comparaverant, servitio et statuto censu tenuerant, jure hereditario, supra nominato Dodoni, acceptis ab eo solidis quinque, traderent et condonarent; quem denuo tenuit semper, habuit atque possedit. Postea, jam multis evolutis diebus, habitum est placitum in eadem villa, in quo derogantes Dodonem incusaverunt eum terram, quam servilem dicebant, fraudulenter sibi et contra jus vendicasse. Ille, propriis secum assumptis testibus Johanne, Geldulfo, Rahero, Aherico, Gundelando, Baldulfo, et in presentiam predicti prepositi T[heuteri] veniens, ut sibi legem concederet suppliciter expetiit, donans pro hoc solidos v. Cujus peticionibus annuens, multis coram stantibus concessit ei ipsam cum sacramento probare terram, et testimonia ejus, seque potius legibus eam hereditare debere quam alium; sicque illa sedata est proclamatio. Subsequenti tempore, dum aliud teneretur placitum, rursum querimonia exorta, cum se nimis molestari conspiceret ac quietari, instanter Gorzie coactus est domnum predictum Odelbertum abbatem expetere, simulque T[heuterum] prepositum, cum exenio solidorum novem uni alteri sol. v, conducente se Aderico monacho, qui eidem preerat placito, in omnibus super hoc consulere se cupiens; cujus benigne voluntati parentes simul et precibus, supra memoratum mansum ipsi, cum communi seniorum omnium voluntate, tradiderunt ac condonaverunt, ad persolvendum, ut prius donatus fuerat, censum per singulos annos pullos III, ova quindecim cum banno; interdicentes ne quis eum ulterius injuriare vel inquietare presumeret. Post quorum denique decessum, ut se quietum esse ac possidere liceret quod acquisierat, ad nostram cum servitio rursum accessit mansuetudinem, supplex

expostulans sibi a nobis donationis scriptum firmitatisque fieri. At nos priorum nostrorum scientes factum, exsequentes auctoritatem cum consultu ac deprecatione fidelium nostrorum monachorum ac laicorum, kartulam hanc donationis et firmitatis ei filiisque ejus fieri jussimus, et eis cum terra de manu nostra tradidimus, donavimus sub interdictu Dei patris omnipotentis et Filii et Spiritus sancti, ac regis banno et ducis Teoderici, comitis Richardi ac nostro, ne quis deinceps quamlibet querimoniam levare presumat, atque hoc nostrorum scabiniorum multorumque corroboravimus et firmavimus testimoniis, quorum subscripsimus nomina, ut habeant semper, teneant per successus et hereditario jure possideant, stipulatione subnixa.

Actum in Warengisi villa, anno ab incarnatione Domini D CCCC LXXXVI.

Signum Immonis abbatis, qui hanc donationis kartam fieri jussit; S. Constantini, prepositi; † Ermenardi; † Aldelberti; † Hamedei; † Wargisi; Hubaldi; † Bavonis; Wihardi; † Fraimeri; † Johannis; † Badulfi; † Gundelandi; Raheri; Geldulfi; † Signum Dodonis et Johannis, filii ejus, qui id fieri expetierunt.

Ego Warnerus, ac si indignus monachus et sacerdos, scripsi et subscripsi.

120.

Metz, 991.

Godefridus donne à l'abbaye de Gorze la nue-propriété des biens qu'il a constitués en dot à sa femme au lieu dit *Geverardi fossa.*

Cartulaire, p. 168 et 169.

Dotalitium Berhte laice.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Godefri-

dus, majorum exemplis provocatus, qui pro remedio animarum suarum bona sua contulerunt locis sanctis martyribus consecratis, trado sancto Gorgonio mansum, cum domo indominicata et tribus mansis appendentibus, pratoque ad xx falces, atque farinario uno, et silva ad centum porcos saginandos, in villa que dicitur Geverardi fossa, inter duos torrentes Lotosam et Horontem sita, in pago Wavrensi et in comitatu Scarponinsi; trado etiam xvii mancipia; eo jure michi reservato ut istis omnibus Bertam uxorem, Deo disponente, futuram, licentiam michi legaliter desponsandi habeam, sicut ipsa cum filiis et posteris suis his omnibus perpetuo perfruatur, ea conditione ut totum respiciat ad sanctum Gorgonium. Que predia supradicta sic terminantur : ex uno latere terra Sancti Gorgonii, appendens ad Domnum Victorem, ex alia parte terra Sancti Stephani, item ex una fronte terra Rudrici et heredum illius, ex alia fronte predium meum, et fratrum meorum mancipiorumque meorum, quorum nomina sunt hec : Alodus, cum uxore sua Susanna et prolibus quatuor, Volfoldus, cum uxore et prolibus totidem, Rotbertus, cum uxore Ailinde et prolibus duabus, Wahinus, cum uxore Eva et prolibus novem. Et si quisquam heredum meorum, mala cupiditate captus, hec unquam violaverit, centum libras auri regali fisco persolvat. Et ut hoc firmum sit, placuit fidejussores adhibere, quorum hec sunt nomina : Walterus, Hugo, frater ipsius, Ruverus, Rucelinus, Folcradus, Huno, Wembaldus.

Signum domni abbatis Immonis, qui hanc cartam fieri jussit; S. Constantini, prepositi; S. Rodaldi, decani; S. Seiraudi, editui; S. Haderici, cellerarii; S. Warheri.

Actum publice Mettis, anno ab incarnatione Domini D CCCC XCI, indictione IIII, epacta III, concurrente III, anno IX regni Ottonis tercii.

121.

Metz, 995.

L'abbé de Gorze acense à un nommé Albricus une terre à Alincourt (?).

Cartulaire, p. 169 et 170.

Scriptum Ymmonis abbatis.


Omnis rei diffinitio et corrogata, ut remur, propriis gaudet fulciri titulis, quatinus cuncta exempta redargutionis molimina recto in reliquum dirigatur tramite. Idcirco ego Immo, abbas humillimus, licet indignus, cunctis fidelibus sancte Dei ecclesie notum manere cupio, presentibus scilicet et futuris, quoniam claustro residentes et de communi utilitate narrantes comperimus quod in Alicurtim dicto loco esset quedam terra de ratione Sancti Felicis indominicata, absa nobisque omnino inutilis. Nobis vero quod exinde facere deberemus ignorantibus, occurrit quidam homo nomine Albricus, petens, quod sibi commoda erat, ut ei eam ad censum concederemus. Nos autem ne videremur esse contemptores divini precepti : « Omnipotenti te tribue, » et illius Salomonis dicti : « Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare, » per consultum fidelium fratrumque nostrorum concessimus ei tantum quod petebat, ac fecimus mansum dimidium et jornales v. Statuimus etiam ut proinde annis singulis denarios xxv in censum persolvat; unde si tardus aut negligens extiterit, cum lege componat, sed adeptam terram minime perdat; medietatem vero predictorum denariorum persolvat mediante mense maii, et reliquos ad annale mercatum. Et ut ipse, et uxor ejus Oda, ac posteri illorum, predictam terram securius et absque dolo et

invidia machinantium hereditare et exercere valeant, hoc memorie scriptum eis fecimus, et factum manu propria roboratum dedimus, successorum nostrorum pie promulgantes industriam ut quemadmodum sua voluerint facta manere firma consentiant et nostra.

Actum Mettis, publice, anno ab incarnatione Domini D CCCC XCV, indictione VIII, epacta VIII, concurrente I, anno XII regni Ottonis III.

Signum domni Immonis abbatis; † Natanni; Odelrici; † Errici; † Gonteri; Lantfridi; † Leodonis; † Hezelini, prepositi; † Hatali; † Lazari; † Gisleberti.

Ego Hagano ad vicem Adelardi cancellarii scripsi.



122.

1006.

L'abbaye de Gorze et un nommé Gondelandus font un échange de vignes à Chazelles.

Cartulaire, p. 170 et 171.

COMMUTATIO YMMONIS ABBATIS ET GUNDELANNI DE CASELLIS.

Imperante Lotharingis gloriosissimo rege Henrico, anno quarto regni ejus, Mentensi vero civitati illustrissimo presule Teoderico presidente, ego Gondelandus, de villa Casselis, que sita est in episcopatu Mettensi, suscepi ex prediis sancti Gorgonii in eadem villa positis unam vineam

admodum desertam, hereditario jure possidendam, tradente Gorziensi cenobii rectore, domno abbate Immone, datis pro commutatione ejusdem vinee sex portionibus alterius vinee melioris, hereditario jure ad illum usque diem possessis, quarum una sita est in campo Gaiperti, inter duas vias, juxta predium Sancti Felicis, altera vero in campo Sancti Remigii, relique vero tres in quodam alio campo Sancti Remigii super Sieio constituti; at vero novissima sita est in finibus Cassellensium que dicuntur Fracturis. Ne vero quisquam posteriori tempore hanc ejusdem commutationis pactionem quoquomodo infringere possit, adhibiti sunt testes idonei, id est : Rainfridus, ejusdem loci villicus, Loduinus, Andreas, Martinus de Molendinis, David, Ermenardus, Folcrarus, Folquinus, Alradus, Rainerus, Humbertus, Rainardus, Tietfridus, Harmodus.

Actum anno ab incarnatione Domini M VI, indictione IIII, epacta XVIII, concurrente I.

123.

Metz, 3 octobre 1007.

L'abbé de Saint-Flin publie l'accord passé entre son monastère et celui de Gorze à l'occasion des moulins d'Art-sur-Meurthe.

Cartulaire, p. 171 et 172.

De villa Arch.

Cum tocius nominis Christiani tum maxime nostri ordinis homines plurimum decet quatinus omnia que utiliter honesteque peragunt, ne aliqua inconstantie levitate moveantur, hec auctoritatis firmissima corroborare radice, quapropter ego, humilis Sancti Felicis abbas Constanti-

nus, quoddam nostri juris predium, Arx nuncupatum, malorum populatione considerans ac nimium perdolens pene eversum altissima consideratione qua id ad meliora, Christo annuente, proficeret, diutissime sum commentatus. Itaque fundi ipsius molendina, inutilium socordia ministrorum olim diruta, cupiens reformare, neque tamen rei familiaris prevalens exiguitate, supplementum super hoc domni Immonis, Gorziensis abbatis, fratrum suorum perquisivi et sum consequtus. Igitur, morosa deliberatione diu habita, cenobii utriusque sententia tandem sancitum est ut, quoniam Gorziensibus major ad hoc facultas suppetebat, in restaurationem operas omnes impensasque tempore presenti futuroque semper expenderent, eo scilicet tenore ut, pro ipsius emolumento operis, moliture medietatem ac piscationis perciperent, nobis alio in eternum medio ex prerogativa predii ipsius feliciter permanente. Ut autem hec conventionis integritas illibata permaneat, domni nostri presulis Mettensis Deoderici, cujus et hoc auctoritate testamentum peractum est, manu postulavimus roborari.

Actum Metis, publice, sub die v nonas octobris, anno ab incarnatione Domini M VII, indictione v, epacta nulla, concurrente II, anno v regnante domno Henrico rege secundo.

Deodericus, sancte Mettensis ecclesie nobilis episcopus, subscripsit. Signum domni abbatis Constantini, qui hoc fieri petiit; Signum domni Immonis abbatis; S. Folradi, prepositi; Lamberti, decani; S. Hadewardi; S. Warcheri; S. Wigerici, primicerii; Gengulfi, prepositi; Heldemodi, decani; S. Aineri; Azilini; S. Adelonis, advocati; S. Godefridi, laici; Wargisi, laici; S. Gerramni, laici; S. Emenardi, laici; S. Jandrici, laici.

124.

15 janvier 1051.

Le pape Léon IX confirme à l'abbaye de Gorze la propriété de tous ses biens en général, et en particulier celle de ses maisons d'Amel et de Varangéville.

Cartulaire, p. 172 et 173. — Publ. dans les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 88, et par Pflugk-Harttung, *Acta pontificum Romanorum inedita,* I, 18.

Privilegium Leoni pape.

Leo, episcopus, servus servorum Dei, Sigefrido, abbati Gorziensis ecclesie, dedicate in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli, in qua sacratissimum corpus beati Gorgonii martyris requiescit, et per eam omnibus illius successoribus ac monachis Deo inibi famulaturis in perpetuum.

Ad apostolatus culmen magnificum spectat omnium sollicitudo ecclesiarum. Quod tu quidem, o abba, non ignorans et satis consulte, ut semper solebas, ecclesie tibi commisse saluti providens, petisti a nobis privilegii nostri utilem ad optinenda monasterii bona confirmationem. Damus itaque, et sacra prime sedis auctoritate sancimus ut, quia prefata ecclesia tantarum reliquiarum preciosissimo, ut diximus, pignore est glorificata, stabiliantur per nos et corroborentur sibi omnia que a quibuscumque Christi fidelibus concessa vel in perpetuum sunt inibi concedenda; et preterea cellas duas, quarum una dicitur Amella, altera vero Warengisi villa, regulariter in monastico ordine constitutas, et omnes quas modo habet vel in posterum habitura est, simili modo ut cetera per hanc sacram nostre preceptionis paginam ad eandem abbatiam confirmamus, et nominatim illa que ab antecessore nostro

domno Leone inibi sunt sui privilegii auctoritate stabilita, et ab aliis antecessoribus nostris confirmata. Ut stabilius autem ista in perpetuum permaneant, precipimus ut nullus imperator, nullus rex, nullus dux, nullus marchio, nullus comes, nullus vicecomes, nullus advocatus, sed neque archiepiscopus, neque episcopus, vel aliqua ecclesiastici ordinis seu mundane conditionis magna parvaque persona, hec infringere aut imminuere vel invadere presumat. Reus contra hujus constitutionis et confirmationis preceptum, sanctum Gorgonium cum omnibus martyribus sentiat sibi esse contrarium, et sine intermissione, nisi resipuerit, sustineat anathema divinum. Conservatorem autem et in innocentia perseverantem dextera Dei protegat ab omnibus malis, et misericorditer super eum descendere permittat donum apostolice benedictionis.

Data xviii kalendas februarii, per manus Udonis, sancte apostolice sedis cancellarii et bibliothecarii, et Tullensis ecclesie primicerii, anno domni Leonis noni pape ii°, anno vero ab incarnatione Domini M LI, indictione iiii, epacta vi, concurrente i, anno xii imperii Henrici tercii.

125.

1051.

L'abbé de Gorze concède à la mère du chevalier Erfo l'usufruit du domaine que ce seigneur avait donné à l'abbaye, à Moncheux (?).

Cartulaire, p. 173 et 174. — Publ. dans les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 89.

De Monzou.

Antique consuetudinis est ut quotiens conventio vel commutatio seu traditio prediorum fit, quid et a quibus et qualiter factum sit ad noticiam posterorum litteris

adnotetur. Quapropter ego frater Sigefridus, Gorziensis cenobii qualiscumque abbas, necessarium duxi tam presentibus quam et futuris hominibus litteris intimare, quod quidam nobilis miles, Erfo nomine, filius Adelardi et Officie, pro amore Dei et remedio anime sue necnon et parentum suorum, et pro sepultura eorum, predium suum a patre et matre sibi olim legaliter traditum, quod Monzou dicitur, cum omnibus appendiciis suis, tam in ecclesia et decimationibus quam in mancipiis, silvis, pratis et aliis terris, cultis et incultis, et quicquid illic pater ejus possederat, eique possidendum reliquerat, et ipse post patrem in pace et quiete tenebat, sancto Gorgonio, absque ullius rei exceptione, in presentia nostra fratrumque nostrorum, multis idoneis testibus astantibus et cooperantibus, ea inter nos facta conventione tradidit, ut si forte ante matrem suam obiret, sicut et postea contigit, predicta mater, si censum unum, videlicet denarium, singulis annis ad altare sancti Gorgonii solveret, et fundum bene custodiret, usum fructuarium de ipso predio diebus vite sue haberet, et insuper de rebus monasterii unoquoque anno viginti modios frumenti et totidem avene, viginti quoque modios vini, aut pro ipso vino duas libras acciperet. Postquam vero predictus Erfo in prelio occubuit, et corpus ejus a loco ubi inhoneste positum erat per fratres nostros levatum, et ad nos cum magno periculo relatum, ac in cimiterio nostro officiosissime sepultum est, sepe memorata mater ejus, nomine Officia, ante altare sancti Gorgonii conventionem quam filius fecerat, coram me et fratribus nostris, multisque idoneis testibus, renovavit, laudavit, censumque solvendo confirmavit, unumque quartarium mansi pro vestitura in presentiarum nobis possidendum reliquit. Et quoniam benivolentiam ejus attendimus, consilio fratrum nostrorum aliorumque fidelium petitioni ejus assensum prebui, ut preter illa que ei danda superius descripsimus, per singulos annos

duas libras pro vestimentis demus. Si ergo post obitum nostrum vivere eam contigerit, precor successores nostros ut ea que denominata sunt amicabiliter ei persolvant, ne ea, que ecclesie collata sunt, pro tenacitate sua perdant. Conventionis et traditionis que ab Erfone facta est, testes fuerunt Gotbertus, Bodo. Quando vero conventio renovata est, et census solutus est a matre, testes fuerunt hii : Gotbertus, Bovo, Hugo, Amalricus, G[e]rbertus.

Actum anno quo supra.

Ego Azo, jussu domni abbatis Sigifridi, scripsi hanc traditionis noticiam.

126.

Verdun, 6 septembre 1032.

L'évêque de Verdun donne à l'abbé de Gorze l'autorisation d'établir des moines de son abbaye à Amel, et lui concède l'église de Saint-Pierre, audit Amel.

Cartulaire, p. 174 et 175. — Publ. dans les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 87.

CARTA DE ALTARE SANCTI PETRI SITO IN LOCO AMELLENSI.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Rumbertus, Virdunensis ecclesie humilis episcopus, notum esse volo omnibus meis pontificibus et cunctis hujus sedis fidelibus domnum Sigifridum, abbatem Gorziensis cenobii, quod in Mettensi vicinio et diocesi situm est, me suppliciter exorasse ut, meo assensu et auxilio, posset in villa que dicitur Amella, nostre diocesi subdita, ad laudem et servitium Dei monachos collocare, et regularem institutionem confirmare. Considerans igitur hanc ejus peticionem divine voluntati concordare, simulque metuens anime periculum incurrere si ejus desiderio contraire presumerem, sperans vero participem me premii affuturum

si ei cooperator existerem, libenter assensum prebui, et ut id rite et ordinate quantocius fieret, Deo annuente, exhortator simul et auxiliator extiti. Quia vero monachice religioni inquietudo plurimum obesse solet, altare, cum ecclesia in qua monachi Deo deserviunt et deinceps servituri sunt, in presentia nostri cleri et totius sancte synodi, ea libertate qua alia monasteria predita sunt, donamus, ut scilicet nichil inde a quoquam, preter eam quam monachi episcopo debent subjectionem, exigatur. Obsequium autem quod hactenus in predicta sancti Petri ecclesia, sive baptizando, sive missas celebrando, a presbitero loci ipsius populo exhibebatur, amodo in ecclesia sancti Martini, que vicina est, a vicario monachorum exhibendum statuimus et sinodali auctoritate confirmamus. Et ut hec nemo deinceps infringere presumat, anathematis interdictione tam modernos quam posteros exoramus, ea dumtaxat conditione interposita, ut predictum monachicum ordinem nullus, vel episcopus vel abbas, exinde auferre aut velit aut possit. Quod si (quod absit!) contigerit, et altare ad pristinam redemptionem, et locus ipse ad antiquam redeat subjectionem.

Actum publice Virduni, in legali sinodo, VIII idus septembris, anno ab incarnatione Domini M XXXII, indictione XV, regnante nobilissimo imperatore Conrado, anno VIII regni ejus, imperii autem V, anno quoque filii ejus Heinrici IIII, duce Friderico, comite Godefrido.

Testibus Dudone, primicerio; Rodulfo, Frogero, Wizelino, archidiaconis; Teoderico, Dudone, Winelando, Albrico, Tiethero, Leudone, Goberto, Celso, decanis. Ego Regimunus, cancellarius, recognovi.

127.

Moyenvic, 18 juin 1040.

Henri III, roi de Germanie, donne à Abenza le domaine qu'il possède à Morlange.

Cartulaire, p. 175 et 176. — Cf. Stumpf-Brentano, *Die Kaiserurkunden des X, XI und XII Jahrhunderts*, n° 2188.

PRIVILEGIUM REGIS HEINRICI TERCII DE VILLA MORLINGON.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus, divina favente clementia, rex. Si justas proclamationes et idoneas lamentationes inauditas et a misericordia vacuas non dimittimus, temporalem et eternam retributionem nos esse recepturos non ambigimus, et si tristantes pietatis ope studuerimus consolari, nobis indubitanter laboramus suffragari. Quapropter, omnium sancte Dei ecclesie fidelium et nostrorum presentium scilicet et futurorum noverit universitas, quod nos Abenze, pro reconciliatione et proclamatione illorum prediorum que ipsa repetebat, et que ei contingebant ex parte sue sororis contectalis, scilicet Heinrici imperatoris, et que dicebat sibi pertinere hereditario jure, tale predium quale visi sumus possidere in villa que dicitur Morlinga, in pago scilicet Musiligeuwe, in comitatu videlicet Virid[unensi], cum casis, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, impingationibus, molendinis, aquis aquarumque decursibus, sive cum omnibus appenditiis ad ipsum predium pertinentibus, per hujus nostre auctoritatis preceptum stabiliter concedimus et donamus, et de nostro jure in ejus jus transfundimus. Et ut hujus nostre auctoritatis donatio omni tempore inviolata permaneat, presentis pagine testamentum manu propria roborantes, siggilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum domni Heinrici tercii (*monogramme*), regis invictissimi.

Teodericus, cancellarius, vice Bardonis archicapellani, recognovi.

Datum XIIII kalendas julii, anno Dominice incarnationis M XL, indictione VIII, anno domni Heinrici tercii, ordinationis vero XIII, regni II.

Actum Medio vico feliciter. Amen.

128.

Gorze, 1053.

Vulleramnus donne à l'abbaye de Gorze une portion de l'alleu qu'il possède à Charey.

Cartulaire, p. 176 et 177. — Publ. dans le *Bulletin de la Société d'archéologie lorraine*, III, 267.

DONUM VULNERANNI DE CAREIO.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Quia brevis et incerta est vita hominis super terram, et dum melius sperat vivere subito rapitur de hac vita, peccatis gravatus, ideo, dum vivit, homo debet de bonis suis peccata sua redimere. Unde ego Vulleramnus, timens de periculo anime mee, et cupiens inveniri absolutus a vinculis peccatorum meorum ante Deum in die magni judicii, cum consilio conjugis mee Elisacie, tradidi ad monasterium Gorziense, per legalem vestituram, Deo et sancto Gorgonio, presente abbate Sigefrido, et senioribus loci, et multis amicis meis, et Oddone preposito, pro redemptione anime et pro sepultura nostra, jornales decem de alodio meo in pago Wabrense, in villa Careica, et pratum ad falces quatuor, jure perpetuo; eo tenore ut, dum vixero, persolvam censum quatuor denariorum festivitate sancti Gorgonii. Post mortem vero meam possideant eos senio-

res loci. Volo enim, quia filios non habeo, heredem facere ecclesiam Dei de bonis meis, ut servi Dei, qui vivunt de elemosinis fidelium, deprecentur pro peccatis nostris. Ut autem post mortem meam huic donationi nullus de heredibus meis contradicat, hanc firmitatis cartam feci, ut presens traditio omni tempore firma et stabilis permaneat.

Actum Gortie, anno ab incarnatione Domini millesimo LIII, regnante gloriosissimo imperatore Henrico, sub abbate Sigifrido.

Ego Paulinus, qui hec scripsi, recognovi.

129.

1055.

L'évêque de Verdun concède à l'abbaye de Gorze l'église de Saint-Martin à Amel.

Cartulaire, p. 177 et 178.

CARTA DE ALTARE SANCTI MARTINI IN VILLA AMELLENSI.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Quia brevis a natura vita mortalibus conceditur, et hec eadem, dum magis floret, immaturo fine plerumque abrumpitur, expedit hanc memoria bene reddite conversationis longius extendere, sicque quod per se breve est per aliud longum reddere. Unde ego Teodericus, humillimus sancte Virdunensis ecclesie episcopus, memoriam mei longiorem efficere, immo perpetuam esse querens, Deo servientium orationibus, peticione domni Sigifridi abbatis, et Berneri prepositi celle sancti Petri, ceterorumque seniorum Gorziensis monasterii ammonitus, ad victum et necessaria monachorum apud Amellam Deo servientium, altare ejusdem parrochie in honore sancti Martini dedicatum jure perpetuo contuli, consensu quidem archidiaconorum

meorum et cleri mei. Notum autem hoc esse tam presentibus quam futuris volui ut prepositus, cum consensu abbatis et seniorum, personam idoneam eligat, factaque conventione quali inter eos convenerit, archidiacono eum presentet, et cura animarum ei absque ullo precio committatur. Prepositus vero de servitio archidiaconi deinceps provideat. Et ut hoc perpetualiter firmum maneat et stabile, his subscriptis testibus sigilloque impresso suum sit detinere.

S. Milonis, primicerii et archidiaconi, cum tribus archipresbiteris suis, Bellino, Warnero, Benedicto. Signum Ermenfridi, ejusdem parrochie archidiaconi, cum duobus archipresbiteris suis, Dudone et Petro. Signum Adelardi, archidiaconi, cum duobus archipresbiteris suis, Odone et Bernardo. Signum Rodulfi, archidiaconi, cum duobus archipresbiteris suis, Constantio et Tihero.

Acta est anno incarnationis Dominice M LV, indictione VIII, epacta XX, concurrente VI, domno episcopo Teoderico in cathedra episcopali feliciter vigente, anno ordinationis sue VIII.

Armundus, tunc temporis cancellarius, manu sua scripsit et consentiendo corroboravit.

130.

Verdun et Ville-devant-Belrain, 1055.

L'évêque de Verdun confirme à l'abbaye de Gorze la possession de l'église de Saint-Florent (?).

Cartulaire, p. 178 et 179.

De Sancto Florentio.

Ego Theodericus, sancte Virdunensis ecclesie Dei gra-

tia episcopus. Pastorali sollicitudine providens ea, que sanctorum predecessorum meorum pontificum decretis olim juste et sancte statuta fuerant, meis quoque temporibus firma et inconvulsa permanere, pro Christi caritate, pro salute anime mee proque fraterna Gorziensis coll[e]gii societate quam habui, dum advixi in hujus mortalitatis corpore, in re et in spe, publico statui decreto cartulario roborari testamento, et confirmavi anatemathis vinculo, ut predicti fratres ecclesiam Sancti Florentii, que meo subjacet episcopio, verum tamen sub illorum subest dominio, absque contradictione et calumpnia archidiaconi, archipresbiteri, presbiteri, seu cujuscumque hominis, in omnibus decimis, in luminaribus, amodo integre possideant jure perpetuo et quieto, ut fuit semper ab antiquo. Hoc bannum si quis infregerit, bannum persolvat, et excommunicationis vindictam cum Juda et Caïpha et eorum sociis eternaliter sustineat.

Hujus rei sunt testes : domnus Adelbero, Mettensis episcopus; Milo, Virdunensis primicerius; Girvoldus, archidiaconus Mettensis; Tyefridus et Richizo, capellani; Gotbertus de Aspero monte; Rofridus de Confluentia; advocatus Adelo; Oduinus, advocatus de Briaco, et Wanerus, frater ejus; Roricus, archidiaconus Virdunensis; Rozelinus, dispensator panis Virdunensis episcopi, qui et centum solidos eidem episcopo portavit ex parte abbatis; domnus Bernerus, prepositus Amellensis.

Acta sunt hec prius Virduni, postmodum apud Villam super Erum fluvium, coram multitudine nobilium virorum.

Actum anno quo supra.

131.

1055.

L'évêque de Verdun concède à l'abbaye de Gorze l'église de Saint-Martin à Amel.

Cartulaire, p. 179.

De altari sancti Martini in Amella[1].

132.

Vic, 1055.

Udo donne à l'abbaye de Gorze deux journaux de terre à Vic; en échange, l'abbaye lui concède le droit de détourner sur ses domaines l'eau de la Seille, de façon qu'il puisse faire marcher le moulin qu'il avait établi sur cette rivière.

Cartulaire, p. 180.

Carta Udonis de Vico.

Omnibus notum sit tam presentibus quam futuris quia ego Udo, consulens utilitati mee et successorum meorum, volui construere molendinum super fluviolum curenz in villa que vocatur Vicus. Sed quia aque ejusdem molendini non potuit esse nisi super terram Sancti Gorgonii, petii ab abbate Gorziensis monasterii, venerabili viro Heinrico, et a senioribus loci, tantum terre quantum sufficeret ad cursum aque. Qui consentiens peticioni mee, sicut est con-

1. Cette pièce n'est qu'une répétition de celle qui est publiée plus haut sous le n° 129. Il a donc paru inutile de la donner ici à nouveau. Mais il faut noter que la pièce 131 se termine par la phrase suivante qui n'est pas dans la pièce 129 :

« Actum anno xv regni Heinrici tercii. »

En outre, le chancelier *Armundus* de la pièce 129 est ici appelé *Arnulfus*.

suetudo inter bonos vicinos, laudavit michi terram per quam eumdem cursum facerem, et fecit michi traditionem et vestituram ad perpetuum, tam mihi quam successoribus meis, per manus Widrici, coram testibus. Ego vero, ut causa mea firmior esset, sicut ipsi voluerunt et amici mei consiliati sunt, reddidi in concamium de alodio meo duos jornales, ubi ipsi elegerunt, et feci traditionem et vestituram ipsi abbati et senioribus loci, secundum legem, ad tenendum in perpetuum, per manus ejusdem advocati, absque illius contradictione, ita ut via libera sit carris eorum, de prato inferiori usque ad pratum Sancti Mariani, per medium alodii quod tradidi eis.

Actum Vico, anno ab incarnatione Domini M LV, indictione [v]III, sub presule Mettensi Adelberone, abbate Heinrico, decano Rodulfo, preposito Agerico, cancellario Paulino, testibus Widrico, advocato, Durando, Tiebaldo, alio Durando, Warnero, Alberto, Rainardo, Harmodo, Gexone, Lambizone, anno XV Heinreci tertii.

Ego frater Paulinus, jussu domni Heinric[i], scripsi.

133.

Gorze, 1055.

L'abbé de Gorze concède à un nommé Martin divers biens à Tichémont.

Cartulaire, p. 180 et 181. — Publ. dans les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 90.

Carta Martini de Tuchei monte.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego frater Heinricus, Gorziensis cenobii abbas, dono cum consensu fidelium nostrorum et omnium fratrum, ad Tuchei montem, Martino, de terra arabili jornales XVII, et pratum ad tres falces, et quintam de uno molendino; eo tenore ut

si filios suos ad Sanctum Gorgonium converterit feminasque nostras acceperint, et ipse teneat et posteri ejus, nullamque ab aliquo parentum suorum patiatur calumpniam. Si autem hoc non fecerint, nec ipse nec filii ejus ultra teneant terram, sed revertatur in manus indominicatas.

Actum Gorzie, sub presule Mettensi Adelberone, abbate Heinrico, comitte Folmaro, primo scabinione Amolberto, notario Paulino.

Actum anno quo supra.

134.

Gorze, 1056.

L'abbaye de Gorze donne certains biens à un nommé Hugo, en échange de la majeure partie de l'alleu qu'il possédait à Domrémy-la-Canne.

Cartulaire, p. 181.

De Donno Remigio.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Notum sit omnibus vere matris ecclesie filiis, tam presentibus quam et futuris, qualiter ego Bernerus, prepositus Sancti Gorgonii, utilitati fratrum meorum consulens, in eorum rebus augendis atque amplificandis extiterim. Ex permissu enim et consilio domni abbatis nostri Heinrici, ex bonis nostris tantum obtuli et dedi cuidam nomine Hugoni, ut ipse, presente et consentiente uxore sua Gelsende et filio Teoderico, ecclesie Gorziensi tradiderit quicquid alodii hereditario jure possederat in villa Domni Remigii, preter duos quartarios. Et ne hec traditio ab aliquo umquam infringi, mutari aut violari posset, sed perpetuo stabilis firma et inconvulsa permaneret, fidelium nostrorum assi-

gnata est testimonio et auctoritate probata, quorum nomina hec sunt :

S. Bovonis de Tedaldi curte; S. Joszelini; S. Ricuini; S. Rambaldi; S. Olberti; S. Elberti; Signum Dodonis; S. Leduini; S. Richeri; S. Bennonis.

Actum Gorzie, anno Domin[i]ce incarnationis M LVI, indictione IX, epacta I, regnante imperatore Heinrico, preposito Bernero, sub episcopo Mettensi domno Aldelberone, primicerio Paulino, domno abbate Heinrico. Hugo scripsit.

135.

Verdun, 1060.

L'évêque de Verdun concède à l'abbaye de Gorze l'église de Brainville.

Cartulaire, p. 181 et 182.

De Beronis villa.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Ego Theodericus, sancte Virdunensis ecclesie Dei gratia episcopus, juxta sanctorum predecessorum meorum decreta pastorali sollicitudine procurans sanctorum necessitatibus succurrere, pro karitate Christi et salute anime mee, proque fraterna societate Gorziensis collegii quam habui, dum advixi in hujus mortalitatis corpore, in re et in spe, statui publico decreto quedam ad ipsum pertinentia cartulario roborari testamento, eaque confirmavi anathematis vinculo, scilicet ut fratres inibi Deo servientes ecclesiam in Beroli villa, que meo subjacet episcopio, verum tamen sub illorum est dominio, cum altari, absque contradictione et calumpnia archidiaconi, archipresbiteri, presbiteri, seu cujuscumque persone, in omnibus decimis, luminaribus, et quecunque ad ipsum pertinent, amodo integre possi-

deant jure perpetuo et quieto. Hoc bannum si quis infregerit, bannum persolvat, et excommunicationis vindictam, nisi satisfactionem loci abbati aut fratribus fecerit, cum Sathana eternam dampnationem sustineat.

Hujus rei testes sunt : Milo, primicerius; Ewardus, decanus; Heinricus, archidiaconus et prepositus Sancte Marie Magdalene; Gepuinus, archidiaconus et prepositus Sancti Germani de Montefalconis; Rodulfus, archidiaconus; Rothardus; Constantinus; Theodericus; Stephanus; Hecelo, decanus; Dudo.

Acta publice Virduni, anno Dominice incarnationis M LX, regnante rege Heinrico, sub Theoderico episcopo, qui hanc fieri jussit.

Ego Richerus, cancellarius, recognovi.

136.

1060.

Gobert fait diverses donations aux moines de Gorze qu'il a appelés pour desservir l'église fondée par lui à Apremont.

Cartulaire, p. 182 et 183. — Publ. par D. Calmet, *Hist. de Lorraine*, III, Preuves, col. CXXI.

De Aspero monte.

In nomine gloriose atque deifice Trinitatis. Notum sit omnibus fidelibus Dei, ego Gotbertus, sepe retractans de eterna salvatione anime mee, quomodo perpetuas penas inferni possem evadere, et per misericordiam domini nostri Jhesu Christi ad paradisi gaudia pervenire, edificavi ecclesiam ad radices Asperi montis, in honore beate et gloriose Marie Virginis, hanc donavi sancte ecclesie Gorziensi, tempore abbatis Heinrici, de qua monachos accepi et inibi ad serviendum Deo locavi. Istis vero servis Dei, ut opus ceptum possint ad unguem perficere, et insuper

stipendia vite habere quibus nullo modo possint carere, predia donavi que in hac karta volui denominari : de Manneres medietatem ecclesie, et frater meus alteram medietatem, de Acceio similiter, de Rohenges dimidium, de Doncurt alodium, et ecclesiam sicut tenui dedi, preter Josbertum ejusque quartarium, de Bracetes in omni usu medietatem, de Hauencumcurt ecclesiam et servum unum, nomine Stephanum, cum uxore et filiis, de Troles quartam partem.

Hujus rei testes sunt : Haibertus, Ulricus, Fulmarus, Arnulfus, Bartolomeus, Wiricus, Letardus, Herbertus, Balduinus, Abelinus, Rainerus, Leudo, Lezo, Herbertus, Fulco.

Actum anno quo supra.

137.

Verdun, 1064.

L'évêque de Verdun donne les autels de Jeandelize et de Domrémy-la-Canne au prieuré de l'abbaye de Gorze à Amel.

Cartulaire, p. 183 et 184.

Donatio quam fecit Teodericus, episcopus Virdunensis, de II altaribus.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Teodericus, episcopus, cunctis ortodoxe fidei piissimis cultoribus. Quoniam multis divinarum scripturarum testimoniis fortune falso arridentis casibus sagaciter fore obviandum admonemur, et per decrementa virium et etatis a valitudine dudum assueta cotidie declinando, ad illam perpetuam, in qua nullius sospitatis defectus est, hilaritatem impensius dulciusque invitamur, idque bone voluntatis misericordie ceterorumque bonorum operum attestatione

sicut hostiam placabilem Deo placere perdocemur, consilio fidelium meorum archidiaconorum totiusque synodi, interventu quoque fidelis mei domni Berneri, monachi Gorziensis, statui ego Teodericus, sancte Virdunensis ecclesie indignus provisor, pro remedio anime mee, duo altaria, unum ad Jamdrelisiam, alterum in Domereis, donare cenobio sancti Petri apostoli sito in villa que dicitur Amella, subjectoque ditioni monasterii Gorziensis, cui modo preest prefatus Bernerus, vice prepositi et prioris; ea scilicet conditione ut ecclesia Sancti Petri et fratres in ea conversantes illa duo altaria possideant in eternum, et personis morientibus que illis duobus locis deserviunt, liceat preposito loci conducere vicarium quem voluerit, officio idoneum, et facta conventione presentare archidiacono, ad curam animarum sine ullo tamen precio suscipiendam promovendum; quique etiam de servitio archidiaconi, cum ad easdem villas causa habende synodi venerit, suggerat preposito predicti cenobii ut ipsum servitium sicut convenit ordinet et construat. Ut autem temporibus periculosis que instant et jam nunc sunt, quando, sicut in Evangelio Dominus testatur : « Habundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum, » et apostolus : « Erunt, inquit, homines seipsos amantes et fidem abnegantes, » hujus mei voti et desiderii non possit aliquis infringere testamentum, volui hoc privilegio legaliter roborato posteris omnibus mandare, violatorem vero hujus mandati perpetuo cum Dathan et Abiron anathamate dampnare.

S. Milonis, primiceri; S. Rudrici, archidiaconi; S. Rodulfi, archidiaconi; Signum Gibuin, vicedomni; S. Evrardi, decani; S. Petri, decani; S. Constantini, decani; Signum Warmanni, decani; S. Hezelonis, decani; S. Rodulfi, decani; Haimonis; Benedicti; Warneri. Ego Richerus, cancellarius, recognovi.

Acta Virduni, famosa civitate, anno incarnationis Domi-

nice MLXIIII, indictione secunda, regnante Heinrico rege juniore, presidente Virdunensi cathedre Theoderico pontifice.

138.

Bouillon, 1069.

Godefroid, duc et marquis, donne à l'abbaye de Gorze l'église Saint-Dagobert de Stenay, avec toutes ses dépendances.

Cartulaire, p. 184-186. — Publ. par D. Calmet, *Hist. de Lorraine,* II, Preuves, col. CCCXLI; par Bertholet, *Hist. de Luxembourg*, II, Preuves, p. LXXXIX (fragments), et par Miræus, *Opera diplomatica*, I, 352.

CARTA DE SATHANACO.

☧. In nomine sancte et individue Trinitatis. Godefridus, Dei gratia dux et marchio. Dignum et animabus nostris utile et necessarium judicamus vel esse censemus, ut qui diutius in hujus mundi pelago conversati, et per ejus vel adversa vel prospera, variis casibus, veluti secundis ac contrariis ventis, agitati sumus, tandem aliquando salvatoris Domini clementiam invocantes, portum salutis et tranquillitatis apprehendere satagamus, et ipsi domino Deo nostro, pro omnibus que nobis tribuit, saltem parum quidlibet retribuere festinemus. Quod ita competenter posse fieri speramus et credimus, si in ecclesiis, que sub nostro jure fuerant hactenus constitute, sed non satis idonee divini servitii executoribus institute, Deo religiose servientes monachos aggregemus, et eis de nostris prediis ac redditibus unde sibi ministrentur necessaria prerogemus, ut dum nos illis bona temporalia procuramus, Deo propiciante, participari bonis eorum spiritualibus valeamus. Unde ego Godefridus dux, instinctu et supplicatione venerande collateralis nostre Beatricis multociens sollicitatus, consideransque ecclesiam Sancti Dagoberti apud

Sathanacum villam, juris nostri, et preciosis ipsius sancti martyris ossibus et multis aliis sanctorum pignoribus illustratam, sed a canonicis inibi sub carnali vita degentibus et sua potius quam divina querentibus usquequaque neglectam, virum boni testimonii et sancte conversationis Heinricum, Gorziensem abbatem, et monachos ejus, cum consilio domni Evrardi, sancte Trevirorum sedis archiepiscopi, in cujus diocesi locus ipse situs erat, ceterorumque fidelium Dei ac nostrorum, convocavimus, et, illis remotis, istos in locum eorum substituimus. Quapropter notum esse volumus tam futuris quam presentibus sancte Gorziensis ecclesie filiis et fidelibus, quia ecclesiam jam dictam Sancti Dagoberti, sancto Gorgonio, et abbati Gorziensi Heinrico, et successoribus ejus legali donatione concedimus et confirmamus et, cum omnibus rebus sibi ex antiquitate appendentibus, delegamus, id est, in dotibus altaris, in decimis, campis, pratis, pascuis, silvis, piscationibus, censibus, capaticis, et omnibus aliis pertinentiis. Preterea superaddimus eis judiciarium mansum, superponimus cum redditibus suis ecclesiam sitam apud villam Mosacum, adjungimus decimas omnium terrarum ipsius potestatis indominicaturarum, hoc est, in censibus terrarum, in capaticis virorum et feminarum, decimam moliture et piscium molendinorum nostrorum, decimam caseorum ad nostram curiam pertinentium, decimas etiam rerum beneficatarum. Donamus etiam eis vineam apud villam vocabulo Colombarium, et pratum quod dicitur ad Cavirol, juxta pratum nostrum indominicatum, sed et corvatam in loco qui vocatur Blacis fontana; et hec omnia eis confirmamus jure quieto possidenda per secula. Ad hoc, ne quis hominum, sive liber, sive servus, sive judex, sive advocatus, huic nostre donationi contraire presumat, neve ei in ullo vel otio vel negotio refragator vel temerator existat, nostre potestatis auctoritate et banno prohibemus et interdicimus, et omnes successores nostros ut

idem prohibeant et propulsent votis omnibus flagitamus. Et ut hec donatio et confirmatio perpetuum memoriale obtineat, nec cujusquam oblivionis vestutati (*sic*) subjaceat, hanc descriptionem testamentalem jussimus exarari, et nostri siggili impressione simulque testium idoneorum affixione signari.

† Signum Godefridi ducis; Signum Beatricis, conjugis sue; Signum Godefridi, filii sui consentientis; S. Hezelini comitis; Signum Fulconis comitis; Signum Herbranni castellani; Signum Herbranni, filii sui; Signum Alberti, filii sui; S. Gisleberti; S. Godescalci; Signum Roderici; Signum Balduini; Signum Godefridi; Signum Hugonis; S. Tetbaldi; S. Herberti; S. Warini; S. Rodberti; S. Rotgeri; S. Ratboldi; S. Rodulfi; S. Richeri; S. Alonis.

Actum Bullioni, anno Dominice incarnationis millesimo LXIX, indictione VII, regnante Heinrico filio gloriosi imperatoris Heinrici, anno regni ejus XIII.

139.

Bouillon, 1093.

Godefroid de Bouillon remet l'abbaye de Gorze en possession de l'église Saint-Dagobert de Stenay, qui lui avait été enlevée par le comte Arnulfus.

Cartulaire, p. 186-188. — Publ. par D. Calmet, *Hist. de Lorraine*, III, Preuves, col. xvj, et par Miræus, *Opera diplomatica*, I, 360.

Item de Satanacho.

☧. In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Godefridus, divina propiciante gratia, dux et marchio. Justum et utile nobis esse scire et considerare debemus, ut, quoniam secularis milicie negociis occupati, divinis intendere prout expedit nequ[a]quam valemus, saltem Deo et sanctis peculiarius in monasteriis

deservientibus consilium nostrum et auxilium exibentes, per hoc beneficentie eorum pariterque mercedis, ipso Deo donante, participes existere valeamus. Unde notum esse volumus sancte universalis ecclesie filiis fidelibus, tam futuris quam presentibus, quia dux Godefridus, avus meus, cum Beatrice, uxore sua, apud Sathanacum, juris sui villam, in ecclesia sancti martyris Dagoberti, pro suarum animarum remedio, monachos de monasterio sancti Gorgonii constituerunt, eisque inter alia ad supplementum victus et vestitus ecclesiam ville Mosaci, que sine contradictione sue proprietatis erat, legaliter condonaverunt; quam etiam ipsi monachi, tota vita ipsius avi mei et filii sui, avunculi mei, quiete et pacifice possederunt. Postquam vero, ipsis defunctis, in nostras manus honor eorum per successionem devenit, et pene omnis regio ipsis ante subjecta in odium nostri atque inimicicias gratuitas conjuravit, ipsi tunc hostes nostri causa odii in nos assumpti, in ipsos quoque monachos insurrexerunt, eisque per summam injusticiam atque violentiam ipsam ecclesiam de manibus abstulerunt, eamque alteri in beneficium tradiderunt, multisque annis, usquedum videlicet erga nos in gratiam redirent, coeptam injusticiam Deo sanctisque sibi famulantibus intulerunt. Super qua re cum apud Sathanacum, nobis presentibus, questio oborta fuisset, et, ipsis etiam coessentibus qui ipsam violentiam exercebant, contio monachorum nos super hac interpellari cepisset, seque jam super hoc apud synodum Treverensem proclamationem fecisse, et juditio synodali ipsam ecclesiam suo juri adjudicatam fuisse, et auctoritate pontificali pacem et quietem possidendi sibi imperatam esse dixisset, simulque adhuc superesse testes qui predicte donationi avi mei interfuissent efficaciter affirmasset, ipsos testes undique evocari et ante nos coadunari effecimus, et ipsis testificantibus vera esse que ipsi asseverabant omni parte repperimus. Quibus omnibus auditis et diligentius

consideratis, visum est nobis comitem Arnulfum, qui princeps ipsorum fuerat ecclesie pervasorum, sub nomine sacramenti et fidei conjurare utrumnam hec omnia cognosceret vera esse, an potius ea vel vellet vel posset veraciter impugnare. Qui sine ipsa adjuratione accepta confessus est hec, ita ut diximus, acta esse, seque et interfuisse et audisse et vidisse, et, ipso avo meo hanc donationem faciente, laudasse. Hac ejus confessione percepta, subsequenter eum monuimus ut sancto et nobis exinde faceret quod facere jure deberet, et ipsam invasionem coram Deo et sanctis emendans, deinceps ab ipsa ecclesia cum omnibus sibi subjectis perpetualiter abstineret. Et ipse jure obniti non valens, ad opus Dei et sancti Dagoberti sibique deservientium monachorum ipsam ecclesiam nobis integre et sine omni in posterum reclamatione reddidit et werpivit, et nobis ipsius ecclesie donum sancto Dagoberto super altare restituentibus, ipse spontaneus interfuit et laudavit. Unde ut hec rerum gestarum memoria per tempora succedentia firma permaneat et inconvulsa, hanc descriptionem memorialem fieri jussimus, et sigilli nostri impressione ac testium idoneorum affixione roborari statuimus.

† Signum Godefridi, Dei gratia ducis et marchionis; S. Amalrici; S. Symonis, fratris sui; S. Walteri; Signum Ottonis; Signum Dudonis; S. Gerardi; S. Isembardi; S. Aleranni; S. Symonis; S. Ursionis; Signum Helberti; Signum Arnulfi; S. Heriberti; S. Ragineri; Signum Oilardi; S. Guigfridi; Signum Franconis; S. Hugonis; S. Harmanni.

Acta Bullioni, anno Dominice incarnationis millesimo XCIII, indictione I, anno regni Heinrici quarti XXXVII, imperii X, pontificante domno Filberto, Trevirorum archiepiscopo, anno sui pontifi[c]atus X.

140.

Metz, 1095.

Poppo, évêque de Metz, rétablit l'accord entre l'abbé de Gorze et son avoué d'Amel, et détermine les droits et pouvoirs respectifs de ces deux personnages à Amel.

Cartulaire, p. 188-191. — Publ. dans les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 100.

De Amella.

✝ In nomine sancte et individue Trinitatis, et beate Dei genitricis Marie, et sancti Michaelis archangeli, et sancti Petri et Pauli, et sancti Gorgonii, et omnium celestium ordinum. Poppo, sancte Mediomatricorum ecclesie gratia Dei pontifex. Contradimus notum omnibus fidelibus, tam presentibus quam posteris, quod venerabilis abbas Gorziensis cenobii, nomine Warnerus, cum suo preposito, fratre Adelone, nostram presentiam humiliter adiens, conquestus fuit de Wezelone, advocato suo, qui super potestatem Amelle, ubi est advocatus, extraordinarie per se et per suos nonullas res vendicabat, excedens equitatem quam obtinuerunt alii qui memorantur inibi fuisse advocati. Nos itaque satisfacientes desiderio sue querimonie venimus Amellam, collecta multitudine nostrorum fidelium, ubi convictus supradictus advocatus nobis et abbati nostro ob illicitas invasiones justificavit, secundum consilium presentium, et postremo dereliquit que injuste usurpaverat, collaudans abbati et suis quicquid dignitatis et utilitatis ex antiquitate in supradicta Amella palam fuit enarratum.

Ut autem nulla ambiguitas super hoc pullulet apud presentes sive posteros, sequestravimus que sint jura abbatis, que advocati, sicut indicant hoc ord[i]ne sequentia :

apud Amellam nullus habet bannum neque potestatem, nisi abbas Gorziensis, prepositusque suus et ministeriales sui, cum omnibus appendiciis, in tribus annalibus placitis; et in aliis placitis per annum continuum prepositus et villicus agent et finient absque advocato quecumque ad placita pertinent. Omnis investitura fiet sub banno abbatis et prepositi et villici, nulla mentione advocati habita. Abbas et prepositus ponet villicum et omnes ministeriales absque advocato. Villicus bannalis quemcumque rebellem accipiet per se et per suos, et in cippum tradet, eum cogendo donec justiciam exequatur, sine advocato, nisi forte necesse fuerit. In centena totius potestatis Amelle, tam de fure quam de latrone et de aliis omnibus, diffiniet villicus sine advocato omnia secundum judicium scabiniorum ipsius curtis Amelle. Quod si fur vel latro extraneus fuerit et se redemerit, advocatus terciam partem suscipiet; si vero aufugerit dum in custodia tenetur, nichil interest advocati a villico requirere, si se poterit purgare eum suo assensu non auffugisse. Abbas suum habebit bannum vendendi vinum per menses duos, quoscumque voluerit, excepto julio et augusto. De leuda hominis interfecti solus villicus placitabit, accipiens ad opus abbatis leudam; advocatus nichil habebit inde, nisi invitatus fuerit. De mutatione monete et de duello, sive incipiatur sive finiatur, nichil pertinet ad potestatem advocati. Advocatus enim, ut omnia alia in libera potestate abbatis consistant, mansos decem habet in feodo, preter bannum quem retinet abbas, quos mansos habet seorsum ut totam potestatem defendat, sine alio respectu nisi qui inscriptus est. Habet etiam idem advocatus in illis mansis manentes debentes sibi censum de capitibus, et habet ibi proprium villicum, decanum scabinionem, omnesque redditus illorum x mansorum absque banno. Preterea advocatus de singulis manentibus infra bannum istum, et quorum est advocatus, et qui censum solvunt, accipit in sollempni-

tate sancti Martini soniam unam ad mensuram quartalli de curte Amelle; si vero ea die sonia non fuerit persoluta, tamen advocatus nullam faciet violentiam, sed villicus abbatis exequetur sibi justiciam. Annali placito abbatis finito, sequenti die advocatus habebit placitum suum super suos homines de suis decem mansis tenentes, et super illos censum de capite sibi debentes. Quod si causa aliqua in suo placito usque ad duellum pervenerit, in curte abbatis Amelle finietur, et abbatis villicus faciet districtionem, dabitque abbati suam justiciam et advocato suam. Si meta aliqua fuerit exterminata in illis decem mansis de feodo advocati, villicus faciet abbatis totam districtionem, dans advocato suam justiciam, abbati bannum et metam restituet. Advocatus domum propriam apud Amellam nullam habebit neque sui servientes, nec hospitabitur ibi, nisi forte causa sui placiti venerit, et tunc tantum apud suos homines hospitabitur. Hec suprascripta consistunt juris totius potestatis Amelle; hoc jus conservaverunt priores inviolabiliter usque ad nostram memoriam; hoc jus, licet deprevaricatum a Wezelone advocato fuisset, tamen sicut superius prelibavimus se conservaturum deinceps collaudavit et promisit. Ut autem ratum et inconvulsum in perpetuum habeatur, indissolubili vinculo anathematis violatores hujus renovati decreti innodamus; et ut firmiori fulciatur robore, subternotamus inscriptionem nostri nominis nostrorumque fidelium, ad testimonium veritatis, in virtute omnipotentis Dei, adversus prevaricatores, si qui exoriantur, nullam sortem cum sanctis habentes.

Poppo, sancte Mettensis ecclesie, gratia Dei, episcopus. Abbates : Warnerus, Walo, Lanzo, Petrus; prepositus Adelo; clerici : Adalbero, archidiaconus; Emicho, archidiaconus; Rotcelinus, archidiaconus; Arnulfus, thesaurarius; laici : dux Teodericus; Gerardus comes; Gotbertus de Aspero monte; Albertus de Briaco et duo filii ejus;

Teodericus; Albertus; Wigericus de Spinal; Hugo de Aspero monte; Bertaldus de Turre; Teodericus de Confluentio; Wigericus de Donobrio; Burchardus judex; Anselmus dapifer; Girardus scanzo; Walterus, Gorziensis advocatus; Wipaldus, Mettensis primus scabinio.

Actum Mettis, publice, Heinrico augusto imperante, Folmaro comite, anno incarnationis Dominice millesimo XCV, indictione III.

Ego Andreas, cancellarius, dictavi et siggillavi, ex precepto serenissimi mei domini Popponis, gratia Dei, Mettensis pontificis.

141.

1095?

Dodo donne à sa femme Agnès divers biens à Thiaucourt, Fey, etc., qui entreront dans le domaine de l'abbaye de Gorze si Dodo et Agnès meurent sans enfants.

Cartulaire, p. 191. — Publ. dans les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 102.

Carta de Tealdi curte.

In exordio mundane creationis, quam mirabili dispositione ad laudem suam ineffabilis Providentia creare voluit, hac precipue dignitate hominem donavit, ut eum conformem sue imaginis participemque similitudinis plasmaret, cui ad supplementum solatii augmentumque jocunditatis et gaudii mulierem ex suimet materia consortem statuit, quos federe nuptiarum blando concordie jugo ac insolubili pacis vinculo nectens, et ad propagationem sobolis procreande celesti benedictione confirmans, quam copulam tam ex[c]ellenti misterio consecrans ut apostolus quoque testatur in hac sacramentum magnum in Christo et in ecclesia prefiguratum, hinc et Dominus noster in carne

apparens, honorabile conubium, thorum immaculatum comprobans, ad nuptias venire, easque potentia divina aquam in vinum mutando dignatus est illustrare. Quapropter ego Dodo, in nomine sancte Trinitatis hanc auctoritatem sequens, cum consilio amicorum meorum do, jure dotis, Agneti alodium Harbodis ville, sicut a patre matreque in propria hereditate habere debeo, ea tamen conditione ut si absque liberis mortu[u]s fuero, ecclesia beati Wittoni illud possideat, ejusdemque alodii nomino duos clientes : Leobaldum et Tecelinum. Simili conditione do ei alodium Tealdi curie, ut si ambo sine filiis de seculo migraverimus, ecclesia beati Gorgonii illud possideat; inde nomino duos clientes : Erembertum et Almannum; iterum alodii Fai, sicut in hereditate habere debeo, duas partes; inde nomino duos clientes : Seifridum et Dodonem; iterum alodii Amblendis ville proprie hereditatis duas partes; iterum alodii Vilicet, quantum in propria hereditate habeo, duas partes. Et ut firma traditio hec habeatur, testes sunt : Leudo, Bernacer, filius ejus, Constantinus de Frasno et Symon, filius ejus, et Rainbaldus de Colomario, et Joscelinus de Caslon, Odo frater ejus.

Hoc actum est tempore Henrici imperatoris quinti, sub presule Richero, et Raignardo existente consule, anno quo supra.

142.

Châlons, 1096.

L'évêque de Châlons donne à l'abbaye de Gorze l'autel de Vanault-le-Châtel.

Cartulaire, p. 192.

CARTA PHILIPPI, CATHALAUNENSIS EPISCOPI, DE ALTARI WASNOU.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Philippus,

Dei gratia, Cathalaunensis episcopus. Si locis divino cultui mancipatis opem nostre liberalitatis impendimus, id animabus nostris et antecessorum nostrorum ad peccatorum veniam promerendam, et celestis regni gloriam adipiscendam profuturum esse non dubitamus. Quapropter noticie fidelium commendare volumus domnum Warnerium, venerabilem sancte Gorziensis ecclesie abbatem, presentiam nostram adiisse, et ut sibi commisse ecclesie aliquid ad memoriam nostri faciendam concederemus suppliciter postulasse. Cujus peticioni adquiescentes, interveniente Odone archidiacono, concessimus prefate ecclesie perpetualiter altare de Wasnau, post obitum domni Immari archidiaconi, qui illud tenebat, vel in vita ejus, si ipse seculum reliquerit, aut vivens eidem ecclesie dimiserit. Interim autem de altari predicta ecclesia investitura oblationem sollempnitatis Omnium sanctorum habebit, excepta parte presbiteri, et candelis vel cera quod ad luminaria ecclesie remanebit. Presbiter vero qui ecclesie deserviet, ab episcopo animarum curam habebit et in synodo presentiam suam exibebit. Et ut nostra hec largitio inviolabilem per succedentia tempora obtineat vigorem, manu nostra firmavimus, et sigilli nostri impressione muniri fecimus. Quod si quis adnullare molitus fuerit, molitio ejus irrita habeatur, et ipse perpetuo anathemate feriatur.

Signum Odonis; S. alterius Odonis; S. tercii Odonis; Signum Immari, archidiaconorum; S. Warini, decani; S. Dudonis, vicedomini; S. Widonis barbati.

Actum Cathalaunis, anno ab incarnatione Domini MXCVI, indictione IIII, regnante Phillippo in Gallia.

Warinus, cancellarius, scripsit et subscripsit.

143.

Au Latran, 6 février 1105.

Le pape Pascal II prend l'abbaye de Gorze sous la protection du Saint-Siège et lui confirme la possession de tous ses biens et privilèges.

Cartulaire, p. 192-194. — Publ. dans les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 104, et par Pflugk-Harttung, *Acta pontif. Romanorum ined.*, I, 84.

PRIVILEGIUM PASCALIS PAPE II DE POSSESSIONIBUS NOSTRIS.

Pascalis, episcopus, servus servorum Dei, venerabili filio Warnero, Gorziensi abbati, ejusque successoribus regulariter substituendis imperpetuum.

Pie postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, quatinus et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Quia igitur dilectio tua, ad sedis apostolice portum confugiens, ejus tuitionem devotione debita requisivit, nos supplicationi tue clementer annuimus, et Gorziense monasterium, cui, Deo auctore, presides, cum omnibus ad ipsum pertinentibus sub tutela apostolice sedis excipimus, quod nimirum monasterium per venerabilem sedis apostolice presulem Johannem sacris pignoribus martyrum Gorgonii, Naboris et Nazarii creditur insignitum. Per presentis igitur privilegii paginam apostolica auctoritate statuimus, ut quecumque bona ad ipsum monasterium vel possessione legitima vel aliis justis modis in presenti pertinere videntur, quecumque etiam in futurum concessione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium juste atque canonice poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et integra conserventur. Ipsum sane monasterii castrum, ita liberum, ita immune persistere arbitra-

mur, ut nulli seculari persone infra illud liceat, sine abbatis licentia, habitare. In adjacenti etiam villa, nec diocesanus episcopus, nec archidiaconus, vel persona quelibet per eos missa, preter abbatis consensum, aliquam exerceat potestatem ; sed tam villa quam capella illic sita, sub jure semper cenobii et abbatis dispositione persistentes, consuete libertatis integritate potiantur. Porro ecclesie sancti Nicholai secus villam Waringisi libertatem illam et immunitatem perpetuo confirmamus, quam ei venerabilis Pibo, Tullensis episcopus, et in dedicatione concessit et per cyrographum tam sua quam clericorum suorum subscriptionibus in ecclesie sue synodo roboravit. Prohibemus etiam ne quis vobis jam super altari ville Waringisi et ejus dote molestiam inferat ; sed sicut hactenus mansit in vestri cenobii possessione permaneat ; cujus vicarius pro animarum cura per episcopum suscepta cathedraticum solvere non cogatur. Idipsum etiam de Amella, Sathanaco, et capella beate Marie ante Asperum montem, presentis decreti auctoritate sancimus. Ad hec adicientes decernimus ut nulli omnino hominum liceat idem cenobium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Si qua sane ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tercioque commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino juditio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco juste servientibus sit pax domini nostri Jhesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud

districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen.

Scriptum per manum Johannis, scriniarii regionarii et notarii sacri palatii.

Ego Pascalis, episcopus catholice ecclesie, subscripsi.

Data Laterani, per manum Johannis, sancte Romane ecclesie diaconi cardinalis ac bibliotecarii, VIII idus februarii, indictione tercia decima. Bene valete[1].

Actum anno ab incarnatione Domini M° C V, pontificatus autem domni Pascalis secundi pape VI°.

144.

1106.

Richard, cardinal-évêque d'Albano, consacre la chapelle Saint-Michel, dans l'église de Gorze.

Cartulaire, p. 194 et 195.

De altari sancti Michahelis in turri.

In nomine sancte Trinitatis. Notum sit fidelibus cunctis quod domnus Richardus, Albanensis episcopus cardinalis, volente domno Warnero abbate, Gorziam venit, eoque cum fratribus deprecante capellam sancti Michahelis consecravit. Ad hanc vero dotandam aliquod predium ab eodem abbate requisivit; qui, alodium quod Hugo cum appendiciis suis sancto Gorgonio apud Lebodi villam dedit, per manum ipsius pontificis ibidem contradidit. In hac tamen condonatione hec conventio cognoscitur statuta fuisse : custos ecclesie debet ibidem luminaria ministrare, et fratribus qui in ipsa dedicatione plenarium officium implebunt die nocteque, servitium refectionis communiter caritative impendere. Omnia sunt confir-

1. Après ces mots, le scribe du cartulaire a reproduit la roue, autour de laquelle on lit la devise : « Verbo Domini cœli firmati sunt. »

mata ipsius presulis jussione, adjuncta etiam pro ipso alodio terribili excommunicatione, ne quis illud auderet ullo modo infringere.

Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo sexto.

145.

1108.

Le pape Pascal II confirme à l'abbaye de Gorze la possession des biens que le duc Godefroid lui avait donnés à Stenay, Mouzay, etc.

Cartulaire, p. 195. — Publ. par Pflugk-Harttung, *Acta pontif. Roman. ined.*, I, 96.

Privilegium Pascalis II de Satanacho.

Paschalis, episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Warnero, Gorziensi abbati, et successoribus ejus regulariter substituendis in perpetuum.

Desiderium quod ad religiosum propositum et animarum salutem pertinere monstratur, auctore Deo, sine aliqua est dilatione complendum. Eapropter, peticionibus tuis, fili in Christo karissime, Garneri, precibusque annuentes, secundum postulationem dilecte filie nostre Mattildis comitisse, ad perpetuam Gorziensis monasterii cui, Deo auctore, presides pacem ac stabilitatem, presentis decreti constitutione sancimus ut universa que illustris memorie dux Godefridus, cum sua nobili uxore Beatrice, supradicte Mattildis genitrice, in villis Sathanaco et Mosaco, seu in aliis locis de suo jure, supradicto vestro monasterio optulit, firma semper et integra in ejusdem monasterii possessione permaneant, sub tuo tuorumque successorum, qui regulariter prefuerint, regimine et dispositione, auctore Domino, in perpetuum conser-

vanda. Si quis autem, quod absit! huic nostro decreto contraire temptaverit, honoris et officii sui periculum patiatur, nisi presumptionem suam digna satisfactione correxerit.

Ego Paschalis, catholice ecclesie episcopus, subscripsi.

Dat. per manum Johannis, sancte Romane ecclesie diac[oni] archid[iaconi], cardinalis ac bibliotecarii, anno ab incarnatione Domini M° C VIII.

146.

1109.

L'archidiacre Adelbero déclare que les prêtres Andreas et Herrandus ont jugé qu'une vigne à Onville, qui appartient à l'autel des saints Apôtres, en l'église de Gorze, a été usurpée par le clerc Benedictus, qui doit la restituer à l'abbaye.

Cartulaire, p. 195-197.

Carta de capella Apostolorum.

In nomine sancte et individue sempiterneque Trinitatis. Notum sit omnibus fidelibus Dei quod Heinricus, abbas Gorziensis, pro modulo suo semper dilexit decorem domus Dei. Hujus rei gratia, ad laudem in honore sanctorum apostolorum oratorium a fundamentis construxit, et a domno Herimanno, Metensi episcopo, dedicari fecit; in cujus dedicatione, pro altaris dote, et ut ibi posset esse luminare, vineas quas acquisierat in pluribus locis condonavit, et in presentia omnium qui aderant, legali traditione, insuper episcopalis anathematis auctoritate, corroboravit. Harum una jacet apud Odonis villam, in summitate clausuli nostri, quam olim, veluti proprium fundum ecclesie nostre, Benedicto seniori, ejusdem loci clerico, ad tempus prestitit, eoque mortuo in sua propria manu eam diu retinuit. Post hec usque ad tempora nostra

multi clerici in ipsa ecclesia legitime sib (*sic*) successerunt, et quandiu vixerunt hanc vineam nullo modo quesierunt; horum nomina hec sunt : Walnerus, Volfaldus, Benedictus junior, Uncrinus. In presenti vero tempore, sub domno Adelberone, archidiacono, predictus Benedictus junior eandem ecclesiam recuperavit, predictam vineam invasit et vindemiare voluit. Tunc Wido prepositus, Walterius advocatus, Wirricus et Rogerus, fideles ecclesie, vindemiatores de vinea expulerunt, vindemiam etiam nobis retinuerunt. Hac de re ille archidiacono clamorem detulit, vineam sui juris nos invasisse culpavit. Unde permotus archidiaconus que erant falsa vera esse credidit, ecclesiam inbannuit. Tandem ratione ductus rem diligenter inquisivit quam, ut obtime cognovit, placitum statuens, Gorziam venit, ubi predictus Walterus presens fuit; et de hac re inculpatus, se legitime apud Sanctum Stephanum expurgare voluit, jureque jurando cum multis testibus affirmare predictam vineam nullum clericum unquam, nisi Benedictum seniorem, ut dictum est, tenuisse. Quod ubi archidiaconus prudenter intellexit, in judicio presbiterorum qui ibi aderant posuit, ecclesiastico more, eis precipiendo ut neque ad dexteram neque ad sinistram declinarent in judicando, sed hanc rem diffinirent omnino justo judicio. Post hec legaliter per Andream et Herrandum, presbiteros, est coram omni populo judicatum, ut Gorziensis ecclesia hanc vineam in suo jure inviolabiliter retineret in eternum. Sic Benedictus junior justicia coactus vineam reddidit et propria manu wirpidum fecit. Deinde, ut magis hoc ratum esset juditium, ilico archidiaconus suique in presentiam domni Warneri, abbatis, et fratrum venerunt, atque ea que dicta sunt renovando coram testibus confirmaverunt.

Testes horum sunt domnus abbas; Adelbero archidiaconus; Hecelinus clericus; Herrandus, Andreas, Heribertus, Hameredus, presbiteri; Walterus advocatus; Hugo

de Atrio; Dominicus villicus; Constantinus, Girardus, Heimo, Albertus, laici.

Actum est hoc publice, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo nono, indictione secunda, domno Adelberone, Mediomatrice sedis episcopo.

147.

Châlons, 1115.

L'évêque de Châlons confirme à l'abbaye de Gorze la possession de l'autel de Mussey, avec la chapelle de Gudmont, son annexe.

Cartulaire, p. 197 et 198.

GUILLERMUS, CATHALAUNENSIS EPISCOPUS, DE WASNOU.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Guillermus, Cathalaunensis episcopus. Piis bonorum laboribus, quos in religioso habitu Deo vivere et vitam finire velle cognoscimus, ex injuncte sollicitudinis officio decet nos omnem adhibere diligentiam, et qualem possumus inter procellas tumultuantis seculi quietem et pacem providere. Unde presentis evi fidelibus et futuri memoriter tenendum tradimus altare de Muceio, cum capella apendicia Guimontis, sicut fuerat ab ecclesia sancti Gorgonii Gorziacensis monasterii a temporibus predecessorum nostrorum usque ad nostra tempora quiete possessum, nos quoque eidem Gorziensi ecclesie concessisse. Ut autem, salvo in omnibus jure episcopali, quiete deinceps a prefata ecclesia idem altare perpetuo possideatur, presentis pagine munimento firmamus, et potestate quam in Petro pontificalis dignitas accepit a Domino, a prefata ecclesia alienari ultra prohibemus. Quod si quis quolibet temeritatis impulsu adtemptare presumpserit, pontificali aucto-

ritate a presentis ecclesie communione semotum, sanctorum optabili consortio in eternum exsortem decernimus.

Actum Cathalaunis, anno ab incarnatione Domini M° C° XV, indictione XI, rege Francorum Ludovico, Cathalaunis domno Guillelmo episcopo.

S. Odonis, S. Odonis, Signum Elbrti (*sic*), archidiaconorum; S. Rogeri, tesaurarii; S. Garnerii, cantoris. Rainaudus, cancellarius, scripsit et subscripsit.

148.

Vers 1124.

Bruno, archevêque de Trèves, approuve les accords passés entre l'abbaye de Gorze et les vicaires de Stenay et de Mouzay, et veut que ces accords soient respectés.

Cartulaire, p. 198-200.

SCRIPTUM DE ECCLESIIS IN SATANACO ET MOSACO.

Est in Treverensi diocesi, et in decania Ivodioensi, nostra quedam cella, in Satanaco, quondam villa, nunc castello, sita, cujus monasterium Karolus Calvus imperator construxit, atque canonicos ad serviendum Deo constituens, eis ecclesias et ibi et circumposita integra donatione et absque cujusquam rei exceptione attribuit. Que etiam ipsi canonici, a tempore ipsius usque ad tempora Godefridi ducis Barbati et ejus conjugis Beatricis, quiete et pacifice tenuerunt, et sicut clerici omnia ad servitium ecclesiarum pertinentia fecerunt, et omnia inde provenientia acceperunt. Quando autem predictus Godefridus per conjugium predicte Beatricis ipsarum rerum potitus fuit, et canonicos ab ipso loco per consilium quorumdam ex ipsis removens, monachis ibi Sancti Gorgonii, per manum domni Henrici abbatis ipsorum, favente sepedicta sua conjuge cujus patrimonii res ipse fuerant, com-

mutavit omnia quecumque ipsi canonici tenuerant, cum eadem ipsa integritate monachis dedit, et omnibus modis donationum in perpetuum confirmavit. Quia vero ipsis monachis inconveniens visum est per domos laicorum ire, et visitationem et confessiones egrorum accipere, et cetera non satis ordini monastico competentia exercere, placuit abbati eorum et congregationi clericos ad hec idoneos ad presentiam domni Egelberti, tunc temporis Trevirensis archiepiscopi, per ipsius loci provisorem monachum mittere, et eos in ipsa sancta Trevirorum ecclesia predicto antistiti per manus deliberare, scilicet ut ad supradicta officia exsequenda, cura animarum a presule ipso suscepta, vicarii monacorum existerent, et tam baptisterii ministerium quam reliqua laice plebi necessaria percelebrarent. Cui rationi favente archiepiscopo et sancto Treverensium clero Hugonem presbiterum, vicarium in Sathanago, Gundolfum in Mosaco constituerunt, et eis pro hujusmodi labore libentius perferendo beneficium nominatum, quod paulo post exponemus, attribuerunt; de quo fidelitatem illi predictis monachis lege clericali fecerunt, et quod nichil ultra summam statuti beneficii vel quererent vel usurparent, fide et sacramento firmaverunt. Si vero contigeret ut aliquid extra statutum ignoranter acciperent, et hoc vel per seipsos vel per alium recognoscerent, infra quadraginta dies, absque placito, sana manu restituere modo simili spoponderunt; et hoc totum hii predicti vicarii tota vita sua fideliter attenderunt. Quibus defunctis, in locum patrum filii surrexerunt, et ad predictum servitium se spontanei offerentes, beneficium ab abbate et fratribus requisierunt; quod accipientes, eandem fidelitatem et convenientiam quam patres firmaverunt, modo simili per omnia effecerunt. Beneficium autem Satanaci hujusmodi fuit quod Lambertus, filius Hugonis predicti, accepit, et unde, sicut pater, quod nichil ultra quereret vel acciperet, vel inscienter acceptum, modo quo supra

diximus, redderet, jurejurando firmavit; scilicet de una matre ecclesia et duabus capellis trecenti annone manipuli, quos vulgo gerbas appellant, et apud tres ipsas ecclesias tertia pars eorum que ad altaria ipsa venient, excepto luminari, tercia quoque pars mortuorum manus, sed et tercia pars minute decime excepta cannaba que in utensilia privata ipsius monasterii delegatur. Porro apud ipsum monasterium Satanaci beneficium ejus est tertia pars offendarum in tribus annalibus festis, et de mortua manu soli duodecim denarii, ita ut si solummodo ipsi duodecim denarii venerint, sui sint; si vero summa major vel qualiscumque veniat, non nisi hoc solum quod diximus ejus portioni contingit. Beneficium ville Mosaci hujusmodi fuit quod Harduisus, predicti Gundolfi filius et successor, accepit quod ei unus mansus separatus fuit, cujus vocabulum est Teotgari sartum, de cujus habitatoribus decimam totius redditus inde exeuntis acciperet, et nichil penitus in omnibus tocius ville decimis vel quereret vel vendicaret. Postea etiam, ut rectitudines monachorum libentius studiosiusque perquirere, una carrata feni cum uno agno adjuncta est, et adhuc quoniam synodos et capitula pro ipsis monachis assidue possidebat, tercia pars census archarum positarum in ecclesia permissa est. Hec tantummodo que diximus uterque presbiter pro beneficio acceperunt, et sicut jam semel et secundo descripsimus, nichil amplius se quesituros vel scienter accepturos fide et juramento, secundum sui ordinis consuetudinem et rectitudinem, firmaverunt; et si contingeret ut supra hoc quicquam valens IIII^or denarios inscienter acciperent, et hoc infra quadraginta dies, vel se recogitantibus vel aliquo notificante, rescirent, absque ulla contradictione vel placito sana manu restituerent. Contra hec omnia, ruptis omnibus sponsionibus et sacramentis que abjuraverant, invaserunt, et decimas, et census, et offerendas, et luminaria, et mortuas manus, et tercias partes, et duas, nec

scientes nec volentes partiri acceperunt. Hujus rei querimoniam serenissimus tunc temporis archiepiscopus Bruno ad se relatam misericorditer suscepit, cunctisque ex ordine discussis, nos omnia prenotata habere permittens, ut omnis amplius ambiguitas tolleretur, proprio sigillo confirmavit.

149.

Verdun, 22 octobre 1126.

Henri, évêque de Verdun, confirme les privilèges accordés par ses prédécesseurs à l'abbaye de Gorze pour son prieuré d'Amel.

Cartulaire, p. 200 et 201.

De Amella.

Heinricus, Dei gratia Virdunensis ecclesie humilis episcopus, Teodewino, Gorziensis ecclesie abbati, omnibusque successoribus ejus et monachis Deo inibi famulaturis in perpetuum.

Quoniam, Deo disponente, episcopalis providentie curam suscepimus, religiosorum et Deo servientium necessitati succurere, et eorum quieti ac libertati efficaciter et sollicite prospicere debemus. Unde, quia in Amellensi ecclesia te et fratres tuos quorundam nostrorum importunitate inquietari et pregravari conquestus es, manum nostre defensionis tibi extendimus, et te tuosque posteros scripti nostri auctoritate in perpetuum munimus. Amellensem itaque ecclesiam, in qua monachi Deo deserviunt, in integra libertate et immunitate stabilimus et corroboramus, quod et a predecessore nostro Ramberto, venerabili episcopo, factum esse cognovimus; altare etiam sancti Martini de parrochia ad victus et necessaria monachorum ibi morantium jure perpetuo contradimus, quod et ab

antecessore nostro domno Teoderico episcopo constitutum esse manifeste comperimus, cum capellis eidem altari subjectis et dotaliciis earum. Prepositus vero ipsius loci, jussu abbatis, idoneam personam que eisdem ecclesiis deserviat libere eligens, prebenda quam ipse determinaveri(n)t per se investiat, et archidiacono eum representet, qui curam animarum sine symonia ei commitat. Servitium vero archidiaconi, cum ad synodum tenendam bis in anno ad eandem venerit villam, prepositus providebit. Et ut hoc perpetualiter firmum maneat et stabile, sigilli nostri impressione confirmamus, et tam modernos quam subsecuturos qui hec contemptui duxerint, nisi resipiscant, perpetuo anathemate dampnamus.

Actum Virduni, anno ab incarnatione Domini millesimo C XXVI, regnante Lothario tercio, anno regni ejus secundo, pontificante in sede Romana Honorio secundo anno tercio.

Signum Laurentii, abbatis S. Witonis; S. Fastradi, abbatis S. Pauli; S. Richardi, abbatis S. Agerici; S. Lamberti archidiaconi; S. Johannis archidiaconi; S. Richeri archidiaconi; S. Adelberonis, Mettensis primicerii; S. Stephani cantoris; S. Hugonis thesaur[ar]ii; S. Ulrici archipresbiteri; S. Rohardi archipresbiteri; S. Walterii de Hattonis curte; Gozelonis de Braz; S. Erlebaldi judicis; S. Ursionis de Consflanz. Ego Hezelinus, monachus Sancti Wittoni, hanc scripsi, xi kalendas novembris, et subscripsi. Ego Martinus cancellarius recognovi.

150.

Verdun, 1127.

Henri, évêque de Verdun, donne à l'abbaye de Gorze l'église de Senon avec ses dépendances.

Cartulaire, p. 201 et 202.

Carta de Senon.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Heinricus, sancte Virdunensis ecclesie humilis episcopus, omnibus sancte ecclesie fidelibus, tam presentibus quam posteris, notum facio nos, ex consilio sapientum et illustrium virorum, altare ecclesie nostre diocesis de villa que Senon vocatur, cum tota sua dote et universis que ad eam pertinent, sancte Gorziensi ecclesie, in usus fratrum ibidem Deo servientium, liberam et absolutam concessisse. Nam ante edificationem ipsius Senonenssis ecclesie, cum ejusdem ville fideles homines abbati Gorziensi sugessissent se velle, scilicet in ipsius fundo, pro sua salute et bono suarum rerum confugio, ecclesiam edificare, abbas ipse, sapientium usus consilio, eorum peticioni acquievit, ea dumtaxat conditione ut cenobium Amellense, ad quod fundus ipse pertinebat, in hoc nichil amitteret, et sicut fundum prius possederat, ita deinceps et fundum et ipsius superstructuram possideret; adiciens etiam ut baptisma et sepulture que inibi fieri deberent, Amelle potius agerentur, et de oblationibus quicquid ad ipsam ecclesiam veniret, totum prorsus Amellensis prepositus susciperet. Hanc conditionem fideles illi petitores libenter suscipientes, et in omnibus annuentes, promiserunt se de suis possessionibus dotem ipsi ecclesie facturos, adicientes presbiterum eidem ecclesie serviturum de suis facultatibus providere, et tam libros quam et cetera altaris utensilia, et que in tectis vel in aliis neccessitatibus sunt expendenda, sine abbatis gravedine se in perpetuum procurare. Hanc pactionem, cum ad ipsius basilice dedicationem venissemus, tam fideles laici quam et ipse abbas Gorziensis bene per omnia recognoscentes, in nostra et archidiaconorum presentia confirmaverunt, et ut stabile atque inconvulsum permaneret, nostro assensu statuerunt. Nos autem

peracto dedicationis sacramento, sapientum utentes consilio, ecclesiam ipsam, cum tota dote et omnibus que ad eam pertinent, sicut jam supradictum est, Gorziensi abbati libere et absolute reddidimus. Et quod tunc fecimus, modo etiam ut firmum atque inconvulsum permaneat, in plena synodo sigillo nostri nominis et pontificali auctoritate roboramus, et excommunicamus, nisi penitentia ductus Deum sanctumque Gorgonium digna sibi propitium fecerit satisfactione.

Actum Virduni, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo vicesimo septimo, indictione duodecima, epacta sexta, concurrente quinto, anno tercio Lotharii regis, presidente papa Honorio.

S. Lamberti archidiaconi; Signum Johannis archidiaconi; S. Alberti primicerii. Ex nobilibus : S. Simonis de Marceio; S. Lietardi de Rainseres; Signum Girardi advocati; S. Teoderici de Wenteroni villa. Ego Martinus cancellarius recognovi.

151.

Entre les années 1138 et 1153.

Le cardinal Tyeduwinus approuve toutes les donations qui ont été faites à l'abbaye de Gorze pour sa maison d'Apremont.

Cartulaire, p. 203-207. — Publ. par D. Calmet, *Hist. de Lorraine*, III, Preuves, col. CXXII.

Carta de Aspero monte.

In nomine sancte et individue Trinitatis sumat initium ordo nostre narrationis. Apostolice dignitatis prerogativa qua a Christo fundata sancta subsistit ecclesia, per innumeros turbines fluctuantis mundi inconvulse stabilitatis servans vestigia, de die in diem augmentatur et crescit honore et gloria, et velut quosdam radios solis, principes

fidei longe lateque diffundens, per eos ecclesie sancte dilatat germina. Horum principum unus et sancte Romane ecclesie Richardus minister et legatus, gratia Dei Albanensis ecclesie cardinalis episcopus, jussu domni pape Pascalis, ut vices legationis injuncte impleret, Gallias adiit, et ipsas peragrans ad Gorziense cenobium devenit. Ibi a patre ipsius cenobii Warnero rogatus ut ecclesie sancti Gorgonii celle ecclesiam sub Aspero monte in honore sancte Dei genitricis Marie dedicaret, adquievit et dedicavit, et qualiter ipsa cella vel a quibus constructa esset diligenter perquirens, scripto mandari fecit, et constructionem ipsius celle, et possessiones ad eam pertinentes, que jam date vel in posterum dande fuerant, privilegio sue auctoritatis munivit. Quam munitionem perlegens, et amore Gorciensis ecclesie satis libenter amplectens, ego Tyeduwinus, gratia Dei Sancte Ruphine ecclesie cardinalis episcopus, quod predecessor meus fecerat laudavi, et rursus privilegio nostre auctoritatis confirmavi et munivi. Ad noticiam etiam tam presentium quam futurorum qualiter ipsa cella vel a quibus constructa sit, ne aliqua controversia aliquando oriri possit, litteris mandavi, tempore Heinrici imperatoris quarti.

Gobertus quidam nobilis, dominus Asperi montis, pater domine Haduidis, in matrimonio juncte Teoderico, filio Alberti Briacensis, filium genuit, quem suum unicum unice diligens Gobertum nominavit. Quo nutu Dei in pueritia defuncto, postquam patri Goberto Mettis constituto nuntiatum est, satis indoluit et sine mora Gorziam petens, domno Henrico, patri illius loci, dolorem quo angustiabatur aperuit. Cujus consilio ad hoc animum appulit ut amore filii, et causa salutis anime ipsius, et sue anime, et omnium anteccessorum et successorum suorum, cellam in usus monachorum sub Aspero monte edificaret, et eam cenobio Gorziensi subjectam faceret. Ad quam construendam satis inhianter animum intendens, in loco quo edifi-

canda erat, prius, velut fundamentum loci, filium sepelivit, et ipsum locum de suis possessionibus, cum consilio et voluntate omnium heredum et amicorum et nobilium suorum, dilatando dotavit. Possessiones autem que in presenti date et concesse sunt a domino Goberto he sunt : ecclesia de Auecuncurt, in grossa decima et minuta; pro quo dono confirmando filiam propriam, Reelendem nomine, que in eadem villa maritata fuerat, cum marito et progenie que de ea exitura erat, cum predicta ecclesia dedit. Dedit etiam partem ecclesie quam possidebat in villa de Rohenges. Dedit etiam terciam partem ecclesie de Aceio vinoso, in omnia grossa decima et minuta, cum parte decime de Tunbelennes. Dedit et partem suam quam possidebat in ecclesia de Maigneres. Dedit et alodium de Duncurt, in omnibus appendiciis, in servis, in ancillis, ubicumque demorarentur, sive intra alodium sive extra, et quicquid possidebat ibi in terris, pratis, silvis, aquis aquarumque decursibus, et in decima ecclesie; solum Josbertum cum suo quartario inibi retinuit. Dedit et alodium de Braicetes, quicquid ibi possidebat in molendino, in servis, in ancillis, in terris, pratis, aquis; mediam tamen partem totius hujus alodii ad usum proprie filie Haduidis, quoad ipsa viveret, retinuit; sed ipsa postea, pro anime Teoderici, viri sui, cum voluntate et concessione filiorum et heredum suorum, donum quod prius pater ejus fecerat renovavit, et partem ipsam mediam, quam pro ea pater ejus retinuerat, cum alia parte deinceps possidendam contradidit, concessit et laudavit. Huic renovationi et laudationi interfuerunt filii ipsius Haduidis, et comes Raynaldus, et Petrus de Mirvalt, et Rodulfus, filius Heriberti, et Rainerus, et Warnerus de Sanpineio, et Manasses, et Arnulphus, et Wido de Ranseres; et de familia Godefridus, Walterus et Johannes.

Domina Helwidis, uxor predicti domini Goberti, laude viri sui et omnium heredum suorum, pro anima sua dedit

sancte Marie alodium de Trundes, quicquid ibi possidebat in servis, in ancillis, in terris, in pratis, aquis aquarumve decursibus, cum molendino.

Donum omnium harum possessionum predictarum dominus Gobertus, sicut liber et nobilis, dedit et concessit libere possidendum in perpetuum ab ecclesia sancti Gorgonii, in usus fratrum beate Marie sub Aspero monte deservientium. Cui donationi libenter assenserunt Richerus, episcopus Virdunensis, in cujus diocesi cella sita est, et Herimannus, episcopus Mettensis, de quo casamentum castri dominus Gobertus tenebat. Et quia in arto loco usus varie pasture et silve locus ille est, laude episcopi Mettensis, et rogatu abbatis Gorziensis et domni Goberti, constructoris loci, Holdeguerna, abbatissa Sancte Glodesindis, cum voluntate et concessione totius capituli sui, sine omni censu vel redditu, fratribus predicti loci et omnibus hominibus ipsorum, concessit et laudavit in perpetuo habendum usum varie pasture et silve. Donationis et laudationis harum omnium possessionum testes fuerunt hi nobiles et liberi viri : Petrus senior de Mirvalt, Folmarus, et Abelinus, et Herbertus infans, et frater ejus Rainardus, et Haibertus, pater Ulrici, et Leudo, et Herbertus Grossus, et Milo de Rabucort, et multi alii nobiles et ignobiles, clerici et laici.

Preterea multi alii nobiles et de familia etiam locum ipsum de suis possessionibus dotaverunt. Pro anima Garini Porree, laude et concessione heredum suorum, sub Aspero monte predicte ecclesie beate Marie vinea est data. Domina Agnes, uxor Balduini, laude heredum suorum, eidem loco dedit et concessit quicquid apud Jagneis possidebat, in servis, in ancillis, in terris, pratis. Hugo de Jarreis, infirmitate compellente apud Gorziam, ubi effectus est monacus, dedit et concessit, laude heredum suorum, quicquid Jarreis, et apud Bossei villam, et apud Dagonis villam possidebat; quod donum abbas Gorzie, cum

suis fratribus, concessit predicte celle beate Marie. Rofridus de Nais, partim precio, partim pro salute anime sue, dedit quicquid apud Nais et apud Jarreis possidebat. Rainerus, frater domne Roholdis, laude heredum suorum, dedit et concessit partem alodii sui quam apud Charei possidebat. Arnulphus de Aspero monte, rogatu ac servitio Heriberti, sacerdotis ejusdem castri, dimidiam partem alodii de Willeruncort, quod est in territorio Barrensi, sancte Marie, pro remedio anime sue, funditus donavit; alteram partem quam de fratre in vadimonia tenebat, assensu et voluntate fratris sui, similiter donavit, eo tenore tamen, si sine proprii corporis heredibus morerentur; si autem uxores ducerent, sequenti die, prior celle sancte Marie, vel aliquis fratrum, ipsum totum alodium in fidelitate sancte Marie ponet, donec septuaginta duos solidos ecclesie solvant; et ut talis donatio inconcussa et firmior esset, quia ipsum alodium, donec viverent, in usum tantum sue vite retinuerunt, singulis annis predictus Arnulphus quatuor nummos, pro anima sua et parentum suorum, pro commemoratione doni a se persolvendos statuit. Hujus rei testes sunt : Teodericus, et filii ejus Gobertus et Albertus; Hugo et Richerus, filii Folmari; Abelinus et filii ejus; Rainerus et Wiricus; Cono et Adelinus de Sancto Martino.

Balduinus, et Folmarus, et Arnulphus, fratres, laude heredum suorum, pro salute animarum suarum et antecessorum suorum, dederunt sancte Marie, sub omni integritate, ecclesiam cum decima de Domno Petro. Richardus etiam cardinalis, qui ipsum locum dedicavit, partem quam a predicta ecclesia possidebat concessit. Heribertus, sacerdos Asperi montis, dedit beate Marie, pro salute anime sue, calicem unum et unum thuribulum septem marcharum, et laude et voluntate fratrum ejusdem loci, et abbatis Sancti Gorgonii, et totius capituli, per se et per omnes fratres tradidit sub indissolubili vinculo anatema-

tis omnes quicunque aliquo modo ipsum calicem aut thuribulum darent, aut venderent, aut invadiarent, aut ad invadiandum alicui prestarent, aut aliquo modo raperent.

Quicumque de his omnibus ad ecclesiam pertinentibus, sive de ecclesiis, vel molendinis, vel alodiis, vel servis, vel ancillis, vel ecclesie ornamentis, sive nobilis vel ignobilis aliquid diripuerit, aut super ecclesiam malam consuetudinem et quam non debet attraxerit, domnus predecessor meus Richardus, cardinalis episcopus, qui ipsum locum dedicavit anno ab incarnatione Domini M° C° III°, indictione XI[a], omnes direptores, vel predictarum possessionum invasores, aut malarum consuetudinum attractores, nisi resipuerint, et quod male diripuerant aut invaserant dimiserint, ipse cardinalis sub indissolubili vinculo anathematis posuit. Cui dedicationi et excommunicationi affuerunt et assenserunt omnes hii testes idonei : Theodericus, dominus Castri; Simon de Domno Apro; Petrus senior de Mirvalt; Ricuinus de Commarceio; Walterus de Sorceio; Guido de Conflens; Ingo de Haidonis castro; Balduinus et Alnulphus et Folmarus, fratres; Abelinus; Herbertus infans, cum fratre Rainaldo; Ulricus, cum fratre Hayberto; Rainerus; Adelinus de Sancto Martino; Bertrannus; Eunucus; Arnulphus et Manasses; Leudo; Milo; Herbertus Grossus; Guezo; Herbertus Venator; Milo de Jagneis, et innumeri alii nobiles, ignobiles, clerici et laici. Qua dedicatione et excommunicatione peracta, ipsum locum et omnes possessiones ad eum pertinentes privilegio sue auctoritatis munivit et confirmavit.

Hujus predecessoris mei domni cardinalis episcopi, ego Tyeduinus, Sancte Ruphine cardinalis episcopus, sequens vestigia, amore Gorziensis ecclesie, ipsum locum et omnes possessiones ad eum pertinentes privilegio et sigillo nostre auctoritatis et Romane sedis munio et confirmo. Direptores etiam vel invasores omnium jam sepe dictarum possessionum vel rerum ecclesie, ex parte beati

Petri, apostolorum principis, et ex parte domni pape, et ex parte sancte Romane ecclesie et nostra, sub indissolubili vinculo anathematis ponimus, ut sint anathema, maranatha, nisi resipuerint, et ad emendationem venerint, et quod male diripuerant vel invaserant dimiserint et reddiderint. Conservatoribus autem et coadjutoribus ecclesie sit pax, prosperitas et gaudium, a Deo, patre nostro, et domino Jhesu Christo. Amen.

Ego autem Albero, Virdunensium humilis minister, quod a patribus et antecessoribus nostris dispositum atque sancitum est, auctoritate mea et sigilli mei impressione confirmo et corroboro.

152.

Palladio, 1130.

Le pape Innocent II confirme tous les privilèges de l'abbaye de Gorze qu'il prend, avec tous ses biens, sous la protection du Saint-Siège.

Cartulaire, p. 208 et 209. — Publié par Pflugk-Harttung, *Acta pont. Rom. ined.*, I, 138. Cf. les Preuves de l'*Histoire de Metz* des Bénédictins, III, 106, note (*a*).

PRIVILEGIUM INNOCENTII PAPE SECUNDI DE POSSESSIONIBUS NOSTRIS.

Innocentius, episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Teodeguino, Gorziensis ecclesie abbati, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Ad hoc universalis ecclesie cura nobis a provisore omnium bonorum Deo commissa est ut religiosas diligamus personas, et beneplacentem Deo religionem studeamus modis omnibus propagare. Nec enim gratus Deo aliquando famulatus impenditur, nisi ex caritatis radice procedens, a

puritate religionis fuerit conservatus. Hoc nimirum caritatis intuitu, dilecte in Domino fili Teodeguine abbas, tuis rationabilibus postulationibus annuentes, Gorziense cenobium cui, auctore Deo, preesse dinosceris, cum omnibus ad ipsum pertinentibus, sub apostolice sedis tutela suscipimus, et scripti nostri pagina communimus, quod nimirum monasterium, per venerabilem apostolice sedis presulem Johannem, sacris pignoribus martirum Gorgonii, Naboris et Nazarii, creditur insignitum. Per presentis igitur privilegii paginam, apostolica auctoritate statuimus ut quecumque possessiones, quecumque bona ad ipsum monasterium juste et legitime in presenti pertinere noscuntur, quecumque etiam in futurum, concessione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium, seu aliis justis modis poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et integra conserventur. Ipsum sane monasterii castrum ita liberum, ita immune persistere arbitramur, ut nulli seculari persone infra illud liceat sine abbatis fratrumque licentia habitare. In adjacenti etiam villa, nec diocesanus episcopus, nec archidiaconus, vel persona aliqua per eos missa, preter abbatis consensum, ullam exerceat potestatem; sed tam villa quam capella illic sita, sub jure semper cenobii et abbatis persistentes, consuete libertatis integritate potiantur. Porro ecclesie sancti Nicholai secus villam Warengisi libertatem illam et immunitatem perpetuo confirmamus, quam ei frater noster, Tullensis episcopus, in dedicatione concessit, et per cyrographum, tam sua quam clericorum suorum subscriptionibus, in ecclesie sue synodo roboravit. Prohibemus etiam ne quis vobis jam super altari ville Warengisi et ejus dote molestiam inferat, sed sicut hactenus mansit in vestri cenobii possessione permaneat; cujus vicarius pro animarum cura per episcopum suscepta cathedraticum solvere non cogatur. Ipsum etiam de Amella, Septiniaco, et cella

beate Marie ante Asperum montem, presentis decreti auctoritate sancimus. Preterea que per privilegium Popponis, Mettensis episcopi, de Amella monasterio tuo statutum est confirmamus. Decernimus etiam ut nullus omnino hominum, in possessionibus vestris que hucusque advocatos non habuerunt, sine abbatis et fratrum consensu advocatiam sibi audeat vendicare. Precipimus insuper ut nulli omnino liceat in parrochiis vestris ecclesiam vel capellam sine tua fratrumque licentia construere. Si qua igitur in posterum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo terciove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem monasterio justa servantibus sit pax domini nostri Jhesu Christi, quatenus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen.

Ego Innocentius, catholice ecclesie episcopus, subscripsi. Ego Willermus, Prenestinus episcopus, subscripsi. Ego Petrus, sancte Romane ecclesie presbiter cardinalis. Ego Petrus, presbiter cardinalis tituli Sancte Anastasie subscripsi.

Dat. apud Palladium, per manum Haimerici, sancte Romane ecclesie diaconi cardinalis et cancellarii, incarnationis Dominice anno M° C° XXX°, indictione VIII, pontificatus domni Innocentii secundi anno I°.

153.

Nevers, 1132.

Le pape Innocent II termine en faveur de l'abbaye de Gorze le différend qui s'était élevé entre elle et Hugues de Montfélix, à l'occasion du domaine de Vanault-le-Châtel.

Cartulaire, p. 209-212. — Publ. par Pflugk-Harttung, *Acta pontif. Rom. ined.*, I, 144.

PRIVILEGIUM INNOCENTII PAPE DE WASNOU.

Innocentius, episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio suo Teotuino, abbati Gorziensis monasterii, ejusque successoribus regulariter substituendis imperpetuum.

Ad hoc in sancta matre catholica et universali Romana ecclesia, que justicie sedes est, nos ab auctore omnium bonorum Deo cognoscimus constitutos ut suam ecclesiis omnibus justiciam conservemus, et si quid perperam gestum esse noverimus, rationis consilio ad rectitudinis tramitem reducamus, quatinus et que corrigenda sunt ordine judiciario corrigantur, et que recta statuta noscuntur in sui vigoris robore perseverent. Tu enim, dilecte in Domino fili Teotuine abbas, in presentia, sicut accepimus, venerabilium fratrum nostrorum Hebaldi et Helberti, Catalaunensium episcoporum, et Mathei, Albanensis episcopi, tunc apostolice sedis legati, adversus Hugonem de Monte felice querimonias profudisti, pro eo videlicet quod stagnum apud Guasnum, in fundo Gorziensis monasterii factum, suis applicans usibus auferebat, et castellum in eodem fundo violenter construxerat, nec tamen debitam potuisti justiciam obtinere. Postmodum vero per eundem fratrem nostrum Matheum, Albanensem episcopum, ut prefatus Hugo tibi, in Remensi concilio, ante nostram presentiam responderet, commonitus fuit. Qui eodem ter-

mino nostro se conspectui optulit, et quod concordiam que inter te et ipsum in Cathalauni ecclesia facta fuerat, si tibi placeret, exequi vellet, asseruit. Tu vero e contrario affirmabas quod, neque illud quod tunc tecum statuerat, nec alia que frequenter tibi promiserat, observavit, sed semper adversum te et Gorziense monasterium graviora dampna et acriores injurias cumulare non destitit. Nos autem, ex consueta sedis apostolice mansuetudine, ut per se et per amicos suos pacem tuam et concordiam quereret ei consuluimus, et si hoc non fieret, altera die ad respondendum tibi nostris se optutibus presentaret; quod ipse adimplere contempnens, absque licentia nostra disscessit. Preterea per litteras nostras Cathalaunis diem sibi statuimus, in quo suam nobis presentiam non exhibuit; sed ad nos postea veniens quasdam suas excusationes pretendit. Unde, ut omnem ei occasionem auferremus, licet tibi gravissimum videretur, alium ei diem apud Altisiodorum assignavimus; ubi cum ambo fuissetis, neque per judicium neque per concordiam que inter vos agitabatur controversia terminata, et ideo tam tibi quam illi alium octavum, videlicet post festum beati Stephani, diem prefiximus. Ipse vero ad nos ante terminum veniens, se in nostra tibi respondere presentia denegavit; et nos, ut die constituto adesse non negligeret, firmiter ei et sub interminatione precepimus. Termino igitur quem utrisque assignaveramus, ille adesse contempsit; et quamvis tu, pluribus occupatus negotiis, interesse non posses, filius tamen noster Heribertus, abbas Sancti Simphoriani Mettensis, et alii quos patronos cause tue constitueras, pro te parati agere se nobis instantius representarunt, v testes, Lambertum scilicet, priorem, et Rodulfum, monachos, Tyestelinum et Dodonem, liberos Gorziensis monasterii, et Galterum, de familia ejusdem loci, in medium producentes. Qui nimirum terram in qua castellum erat constructum, et profunditatem stagni, et aque retinaculum

quod calceia vocatur, juris esse Sancti Gorgonii, tactis sacrosanctis Evangeliis, firmaverunt. Quia ergo prefatus Hugo nichil de contumaci absentia sua lucrari debuerat, nos ex deliberato fratrum nostrorum episcoporum et cardinalium consilio, per eundem Heribertum, abbatem Sancti Simphoriani Mettensis, qui cause tue patronus extiterat, te, et successores tuos, et Gorziense monasterium, tam de terra in qua castellum situm est quam etiam de profunditate stagni et aque retinaculo quod calceia dicitur, per baculum investivimus, et vobis perpetuo concessimus possidenda; statuentes ut, nec prenominato Hugoni, nec alicui omnino hominum, liceat Gorziense monasterium super hoc de cetero infestare. Si quis autem huic nostre confirmationi temerario ausu contraire temptaverit, secundo terciove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino juditio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri Jhesu Christi alienus fiat, atque in extremo districte ultioni subjaceat; conservantes autem a remuneratore omnium bonorum Deo coronam perpetuam, et beatorum apostolorum Petri et Pauli gratiam consequantur. Amen. Amen. Amen.

Ego Innocentius, catholice ecclesie episcopus, subscripsi. Ego Matheus, Albanensis episcopus, subscripsi. Ego Romanus, diaconus cardinalis Sancte Marie in Porticu, subscripsi. Ego Gregorius, diaconus cardinalis Sanctorum Sergii et Bachi, subscripsi.

Data Nivernis, per manus Almerici, sancte Romane ecclesie diaconi cardinalis et cancellarii, anno ab incarnatione Domini, indictione x, M° C° XXX° II°, pontificatus vero domni Innocentii pape II anno secundo.

154.

Trèves, 24 novembre 1137 (?).

Adelbero, archevêque de Trèves, confirme à l'abbaye de Gorze la possession de la dîme de cinquante-sept vignes dans le domaine qu'on appelle vulgairement Mannwerch.

Cartulaire, p. 212.

De predal[i] quod vulgo manvert vocatur.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Adelbero, permissione divina Treverorum humilis minister et servus, apostolice sedis legatus, sancte Gorziensi ecclesie in perpetuum.

Sicut divina ultione feriendi sunt qui sanctam ecclesiam et liberas possessiones a fidelibus illi collatas invadere et perturbare non metuunt, ita econtrario hii qui eas tuentur et defendunt divina remuneratione nullatenus carebunt. Hoc igitur zelo accensi, decimam de quinquaginta et septem vineis in predal[ibus] que vulgo *mannwerch* vocantur, post multas vexationes et perturbationes libere tandem per Wigericum, Gorziensis ecclesie abbatem, recuperatas, consilio et petitione venerabilis fratris nostri Stephani, Mettensis episcopi, de cetero eidem Gorziensi ecclesie firmare et corroborare necessarium duximus. Per presentem igitur paginam prefatam decimationem predicte ecclesie ratam et inconvulsam de cetero manere decernimus, et ut perpetuo firmius teneatur, sigilli nostri impressione signavimus. Si qua igitur, quod absit! ecclesiastica secularisve persona contra hanc nostre institutionis paginam sepedictam ecclesiam super prefata decimatione inquietare, perturbare, vel injuste inde alienare temptaverit, sciat se Dei omnipotentis iram incurrere, et anathematis nostri vinculo et banno subjacere, donec resi-

puerit et ecclesie Dei digne satisfecerit; conservantibus autem hanc sit salus et benedictio in finem ab eo qui vivit et regnat sine fine. Amen. Amen. Amen.

Ego Adelbero, archiepiscopus Treverorum, subscripsi. (*Monogramme.*) Ego Arnoldus, Treverorum archidiaconus. Ego Godefridus, majoris domus prepositus, subscripsi. Ego Folmarus, majoris domus decanus, subscripsi.

Acta sunt hec Treveri, VIII kalendas decembris, anno incarnationis Dominice millesimo C tricesimo VII, indictione I, presidente sancte Romane sedi domino Innocentio papa secundo, anno ordinationis ejus IX, regnante Conrado rege secundo, anno regni ejus I, anno ordinationis domni Adelberonis VII°.

155.

1138.

Hugues de Montfélix reconnaît avoir usurpé la terre sur laquelle il a construit un château à Vanault-le-Châtel et s'oblige à payer chaque année un cens à l'abbaye de Gorze pour cette terre, légitime propriété de ladite abbaye.

Cartulaire, p. 213.

[N]otum fieri volumus tam futuris quam presentibus Gorziensis ecclesie filiis et provisoribus, qualiter dominus Hugo de Monte felice, tactus penitentia cordis, atque animе sue volens consulere utilitati, cum uxore sua Alahide, et aliis quamplurimis familiaribus suis, ad prefatam ecclesiam confugerit, et absolutionem de omnibus dampnis, que ei intulerat, expetierit et optinuerit, quodque etiam fundum quem violenter occupaverat in villa que dicitur Wasnau, super quem construxerat castrum, nostri esse juris, coram testibus legitimis, videlicet glorioso comite Te..., Gaufrido, Cathalaunensi episcopo, recognoverit, et quomodo eundem fundum in capitulo fratrum,

presente domno Widerico, abbate eorum, et ipsius abbatis assensu, sibi et posteris ejus quos genuerit de uxore sua Alahide tenendum postulaverit et impetraverit; ea sane conventione quod singulis annis, in capite jejunii, pro prefato fundo cuicumque ecclesie predicte abbas preceperit, censualiter v solidos persolvet. Hoc sane sciendum quod si sine legitimis heredibus prefate uxoris Alahidis vitam finierit, ad alios quoscumque legitimos heredes de corpore suo progenuerit simili tenore redibit. Quod si de omnibus istis defuerit, tunc utique totum, scilicet fundus et census, jam nominate ecclesie restituentur.

Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini M° C XXX[V]III, indictione I, regnante Conrado apud Romanos, apud Francorum gentem Ludovico, Stephano Mettensi episcopo, Gaufrido Cathalaunensi episcopo.

Testibus istis : Adam de Vitriaco; Galone, clerico; Symone de Torzeiaco; Symone Taloio; Symone Buscheio de Sparnaco; Hugone de Pliveis; Milone, de Monte felice preposito; Widone de Chaoleio; Heinrico, filio Galteri; Drogone; Conone, advocato; Waltero; Widerico; Dodone; Godefrido; Manasse; Lietardo; Rainaldo, filio suo.

156.

1143.

L'évêque de Metz confirme à l'abbaye de Gorze la possession de la chapelle Sainte-Brigitte à Plappeville, qui lui avait été induement contestée par l'abbaye de Saint-Symphorien de Metz.

Cartulaire, p. 213-215.

De Papi villa.

Stephanus, Dei gratia sancte Mettensis ecclesie episcopus, omnibus catholice fidei cultoribus in perpetuum.

Divina nos ideo gratia ad hanc pontificalem dignitatem sublimavit, ut cura pervigili circa statum ecclesiarum nostrarum provideremus, et que ab eis tyrannorum oppressione sive prelatorum negligentia ablata atque dispersa sunt, cum Dei adjutorio congregare, atque confirmare et reformare curaremus. Eapropter, quandam capellam de Papi villa, in honore beate Brigide virginis dicatam, et ad ecclesiam de sancto Quintino de Sye pertinentem, cum universis oblationibus, et de XVII mansis et dimidio medietatem omnium decimarum, et insuper medietatem minute decime ejusdem ville, cum dote capelle prenominate, ecclesie que est mater ipsius capelle reconsignavimus, atque auctoritate nostra confirmavimus. De hac siquidem cappella, inter domnum abbatem Gorziensem, ad cujus videlicet cenobium ecclesia sancti Quintini pertinet, et Sancti Simphoriani abbatem, questio atque dissensio orta est, et ante presentiam nostram delata atque ventilata. Abbas siquidem Sancti Simphoriani conquerebatur atque reclamabat quod capella illa, cum suis appendiciis, deberet ad ecclesiam suam pertinere; econtra abbas Gorziensis, accepto consilio suo, respondit quod ecclesia sua juste atque legitime eandem capellam, cum universis appendiciis, per centum annos tenuerat atque possederat, et hoc cum ydoneis testibus, quibus hoc manifestum erat, probare paratus fuerat; quod ita judicio totius synodi judicatum est. Peracta igitur recto ordine hac probatione, domnus abbas Gorziensis cum sua ecclesia nos rogavit ut bannum nostrum, cum domino Teoderico, archidiacono, super hoc poneremus, et ne amplius inde inquietaretur, nostra auctoritate confirmaremus. Cujus vero precibus annuentes, prenominatam capellam, cum supradictis appendiciis et decimis et dote, cenobio Gorziensi et Wirrico, abbati, et fratribus ejusdem loci, tam futuris quam presentibus reconsignavimus; statuentes insuper nostra auctoritate ut nulli omnino hominum

liceat predictum cenobium, seu fratres ibidem Deo degentes, super hoc temere perturbare, vexare atque inquietare. Hujus itaque pagine seriem stabilientes, sigilli nostri impressione signamus, et sub anathemate nostro hoc nostrum statutum confirmantes, in perpetuum corroboramus. Sane si qua ecclesiastica secularisve persona contra hoc aliter agere presumpserit, a communione sancte Dei ecclesie segregatus, cum diabolo et angelis ejus ignibus eternis cruciandus reservetur. Sub hac etiam sententia omnem decimam alodii de viculo Lacey, quam Petrus miles injuste et violenter occupaverat, unde postmodum ecclesie Gorziensi satisfecit et reddidit, confirmamus et corroboramus. Ad amplioris etiam firmitatis inculcationem, subnotata sunt nomina testium qui huic probationi interfuerunt : domnus Teodericus, primicerius et archidiaconus; domnus Philippus, decanus et archidiaconus; Rocelinus, archidiaconus; magister Walterus, archidiaconus; abbas Sancti Vincentii; abbas Sancti Arnulphi; abbas Sancti Clementis; abbas Sancti Martini; Albero, custos Sancte Marie; Warnerus, episcopi capellanus; Drogo, Folcardus, presbiteri; Theodericus, presbiter de Sye; Wirricus, monachus et prepositus de Sye; Abertus, judex Mettensis; Albertus, scabinio; Walterus, camerarius; Richardus de Rinport; Gotefridus Gorziensis; Cuno; Walterus, frater ejus; Constantinus; Raimbaldus; Rodulfus; Waldricus.

Anno ab incarnatione Domini M° C° XLIII, indictione VI, epacta III, Innocentio papa presidente, Conrado rege feliciter regnante.

Scripta per manum Lebaldi, ad vicem domni Teoderici cancellarii.

157.

Au Latran, 1149 (?).

Le pape Eugène III mande à l'évêque de Metz de faire droit à l'abbaye de Gorze, sur qui C. de Asmantia et son fils ont usurpé la cour de Moivron.

Cartulaire, p. 215 et 216. — Publ. par Pflugk-Harttung, *Acta pont. Rom. ined.*, I, 212.

PRIVILEGIUM EUGENII PAPE DE MOVIRON.

Eugenius, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri ..., Mettensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii nostri Gorziensis abbatis adversus C. de Asmantia et Becelinum, filium ejus, nuper querelam accepimus, quod curiam de Monviron, ecclesie sue de jure, sicut asserit, pertinentem, ei contra justiciam auferre presumit. Quoniam igitur nobis et fratribus nostris episcopis presertim incombit ut ecclesiarum filii, contra secularium virorum incursus, bona sua conservare valeant imminuta, per apostolica scripta fraternitati tue mandamus, quatinus antefatos viros omni cum districtione commoneas, ut vel curiam ipsam eidem filio nostro in pace dimittant, vel omni tergiversatione cessante in presentia tua ei exhibeant justicie complementum. Si vero neutrum horum executioni mandaverint, ita canonicam de ipsis justiciam facias, ut antedictus abbas non cogatur ulterius pro defectu justicie laborare.

Data Laterani.

158.

Trèves, 20 janvier 1148.

Le pape Eugène III ratifie l'accord intervenu jadis, sous les auspices de l'évêque de Metz Popo, entre l'abbaye de Gorze et son avoué d'Amel, et confirme à ladite abbaye la possession de la celle Saint-Pierre à Amel, ainsi que de l'église paroissiale de ce lieu, avec ses chapelles et leurs appartenances.

Cartulaire, p. 216. — Publ. par Pflugk-Harttung, *Acta pont. Rom. ined.*, I, 200.

PRIVILEGIUM EJUSDEM DE AMELLA.

Eugenius, episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio suo Isembaldo, Gorziensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut injusta poscentibus nullus est tribuendus effectus, ita legitima petentium non est differenda peticio. Eapropter, dilecte in Domino fili I. abbas, tuis precibus inclinati, petitioni tue volumus prebere assensum. Ex litteris siquidem bone memorie Poponis, Mettensis episcopi, intelleximus quod discordia que inter Garnerum, predecessorem tuum, et Wetelonem, advocatum Amelle, agitabatur, per eundem episcopum fuerit terminata, et quid juris abbas, quid consuetudinis advocatus in eadem villa deberet habere, concorditer et fuerit diffinitum, et postmodum a Rainaldo comite, ipsius ville advocato, sui scripti fuit munimine roboratum. Nos itaque eandem diffinitionem seu concordiam, quemadmodum in supradictis scriptis continetur, auctoritatis nostre robore confirmamus, et ratam futuris temporibus manere decernimus. Preterea cellam beati Petri et parrochialem ecclesiam que in prefata Amellensi villa site sunt, cum capellis que ad eandem ecclesiam pertinent, et earundem cappellarum

pertinentiis, sicut a bone memor[i]e Raimberto, Theoderico et Henrico, Virdunensibus episcopis, Gorziensi ecclesie concesse sunt, et scriptis eorum firmate, tibi tuisque successoribus nichilominus confirmamus, salva diocesani episcopi canonica justicia. Si quis autem nostre confirmationis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, atque indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, incurrat.

Data apud Treverim, XIII kalendas februarii.

159.

Apud Vicum, 27 janvier 1147 (?).

Le pape Eugène III approuve le jugement par lequel l'évêque de Metz a confirmé à l'abbaye de Gorze la possession de la chapelle Sainte-Brigitte à Plappeville.

Cartulaire, p. 216 et 217. — Publ. par Pflugk-Harttung, *Acta pont. Rom. ined.*, I, 190.

Privilegium ejusdem de Papi villa.

Eugenius, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Isembaldo, abbati Gorziensis monasterii, ejusque fratribus, salutem et apostolicam benedictionem.

Venientes ad nos duo de fratribus vestris, Albertus videlicet et Wirricus, litterarum venerabilis fratris nostri Stephani, Mettensis episcopi, rescriptum nobis representarunt, in quo continebatur quod inter Wirricum, tunc Gorziensem abbatem, et Sancti Simphoriani abbatem, super capellam sancte Brigide de Papi villa, questio orta est et ante ipsius presentiam ventilata. Auditis autem utriusque partis rationibus et diligenter inquisitis, totius synodi juditio judicatum est cappellam ipsam, cum universis oblationibus, et medietatem omnium decimarum de XVII mansis et

dimidio, et insuper medietatem minute decime ejusdem ville, cum dote ipsius capelle, ad ecclesiam sancti Quintini de Siex, que est mater ipsius capelle, et de jure Gorziensis monasterii esse dinoscitur, specialiter pertinere. Quia igitur nostri officii est que judicii veritate decisa sunt in sua stabilitate firmare, nos cappellam ipsam cum supradictis, prenominate ecclesie sancti Quintini et Gorziensi monasterio, sicut in ejusdem Metensis episcopi presentia per juditium totius synodi juste adjudicata est, confirmamus et presentis scripti pagina roboramus. Nichilominus et totam decimam alodii de viculo Lascei, quam ad jus vestri monasterii pertinentem Petrus miles violenter occupatam cum satisfactione reddidit, Gorziensi monasterio confirmamus. Si quis autem hujus nostre confirmationis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum apud Vicum, VI kalendas februarii.

160.

1152.

Albero, évêque de Verdun, donne à l'abbaye de Gorze l'autel de la chapelle d'Ornel et confirme la donation de l'autel de la chapelle de Senon, faite à ladite abbaye par l'évêque Henri, son prédécesseur.

Cartulaire, p. 217 et 218.

De Ornella.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Albero, Virdunensis ecclesie episcopus, omnibus Dei ecclesie fidelibus, tam presentibus quam futuris, notum facio quod, consensu et consilio dilecti filii nostri Andree, tunc temporis archidiaconi, et aliorum sapientum et illustrium viro-

rum, sancte Gorziensi ecclesie altare capelle que est in villa quam Ornellam nominant, que est in diocesi nostra, cum tota dote sua et omnibus que ad eam pertinent, libere et absolute possidendum concedimus. Quam videlicet capellam abbas Gorziensis in predicta villa ea conditione fieri concessit, ut cenobium Amellense, ad quod fundus ipse pertinebat, in hoc nichil de redditu et jure antiquo perderet, sed sicut fundum prius possederat, ita deinceps et fundum et ipsius superstructuram possideret. Adiciens etiam ut baptismus et sepulture apud Amellam celebrarentur, et de oblationibus quicquid ad ipsam capellam veniret, totum prorsus Amellensis prepositus susciperet, et personam que ibi serviret ipse abbas secundum Deum inveniret. Fideles quoque homines ejusdem ville quod libros et cetera altaris utensilia providerent, et que in tectis vel in aliis necessitatibus expendenda essent, sine abbatis gravamine administrarent, promiserunt. Altare preterea capelle de Senon, quod predecessor noster Henricus, sancte Gorziensi ecclesie, cum tota dote et universis appendiciis concessit et confirmavit, nos similiter, salvo in omnibus jure spiritalis justicie, eodem tenore concedimus, et sigilli nostri impressione firmamus. Ut personam etiam secundum Deum ibi servituram ipse abbas provideat, nichilominus concedimus, et ne aliqua ecclesiastica secularisve persona hanc nostre donationis vel confirmationis paginam presumat infringere, pontificali auctoritate interdicimus. Quod si fecerit, anathematis vinculo, nisi resipuerit, nunc et imperpetuum implicamus.

Testes hujus rei sunt : Andreas, archidiaconus ; Johannes, archidiaconus ; Johannes, cellerarius ; Guarinus, capellanus ; Gerardus, decanus ; Hugo, decanus ; Symon de Henonvile.

Actum anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo secundo.

161.

1139.

Gaufridus, évêque de Châlons, donne à l'abbaye de Gorze l'autel Saint-Loup à Vanault-le-Châtel.

Cartulaire, p. 218 et 219.

De Wasnauo.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Gaufridus, Dei gratia, Cathalaunensium episcopus. Officii nostri consideratio providere nos ammonet ut monasteriorum negotia pacis intentio salubri fine distinguat, et ratione constringimur consensus nostri auctoritate que utiliter diffinita sunt roborare, ne forte, cujusquam excusationis objectu, quod a religioso proposito et equitate valde dissentit, aliquid in dubium contentio recidiva perducat, et gignat pro pace litigium. Notum sit igitur presentibus et futuris quia sigilli nostri attestatione munimus quod assensu et voluntate capituli nostri fecimus. Peticione enim venerabilis fratris et amici nostri Widerici, Gorziensis monasterii abbatis, loco et capitulo ipsius dedimus altare Guasnadii, quod dedicatum est in honore sancti Lupi, salvo jure et custumiis Cathalaunensis episcopi, et archidiaconi, ministrorumque ipsorum. Et ecce huj[u]s dationis testes : Signum Raineri, S. Odonis, S. Jofridi, S. Guidonis, archidiaconorum; S. Johannis, capellani; S. Theoderici, presbiteri; S. Othonis, clerici.

Actum Dominice incarnationis anno M° C° XXX° IX°, epacta XVIII, concurrente VI.

Anselmus notarius scripsit, et Galterius cancellarius subscripsit.

162.

Worms, 20 juillet 1154.

L'évêque de Worms et le chapitre de son église cathédrale acquiescent au jugement par lequel Nicolas, évêque d'Albano et légat du Saint-Siège, a adjugé à l'abbaye de Gorze une partie de la dîme de Petershain, et donnent à cette abbaye la partie de la dîme qu'ils possédaient eux-mêmes au même lieu.

Cartulaire, p. 219 et 220.

De Petresseim.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Conradus, Dei gratia, Wormacensis episcopus, Conradus, prepositus, Henricus, decanus, Nibulungus, vicedominus, Hermanus, magister scolarum, et omnes ejusdem ecclesie, tam majores quam minores, dilectis fratribus Isembaldo abbati et omnibus Gorziensis ecclesie tam presentibus quam futuris in perpetuum. Que a domino papa, vel ab eo judicibus constitutis compositione vel judicio terminantur, a nobis qui obedientie filii esse desideramus, et Romane ecclesie reverentiam in omnibus exhibere debemus, toto debent tempore inconcussa servari, et a robore sue firmitatis nulla ratione divelli. Karissimus pater et dominus noster, felicis recordationis papa Eugenius, controversiam que inter nos et ecclesiam vestram, super decima de Petrenshaim, agitabatur, domino Hyllino, Treverensi archiepiscopo, audiendam terminandamque commisit. Que cum prima vice in sua non potuisset presentia terminari, vestra denuo querimonia repetita effecit ut dominus Anastasius, qui domino Eugenio in papatum successerat, eandem controversiam jam dicto domino Treverensi et magistro Ottoni, Capenbergensi abbati, iterum delegaret, ut ratio-

nibus hinc inde diligenter auditis et cognitis, eam appellatione remota fine debito terminarent. Que cum in conspectu totius Treverensis ecclesie tractaretur, a domino Nicholao, Albanensis ecclesie ministro, et apostolice sedis est audita legato, et eo mediante compositionis terminata juditio. Cujus compositionis modum, ad memoriam nostram et posterorum, ipse et prefati judices redegerunt in scriptum, cum universis abbatibus qui presentes fuerunt, super omnes illos anathema pronunciantes qui de cetero, de eadem decima que in banno ville de Petrenshaim dari debet vel accipi, vestram ecclesiam inquietare aut vexare presumerent. Nos vero in tantam dampnationem cadere pertimentes, eandem compositionem, sicut in eorum scripto continetur, confirmamus, et ratam haberi volentes, totam decimam prefate ville unde nos infestabamus vobis wirpiendo cum omni integritate in pace dimittimus. Si quis autem quietem vestram super hoc infestare presumpserit, excommunicationi subjaceat, et nisi resipuerit, sine fine mansuram penam incurrat.

Hujus rei testes sunt : Henricus, decanus; Wiecmarus, portenarius; Henricus de Gaisbodeshaim; Eberhardus; Gernodus; Menardus; Henricus; anno incarnationis Dominice Domini M° C° quinquagesimo IIII°, epacta IIII, indictione IIII, XIII kalendas augusti. Data Wormacie.

163.

1154.

Accord entre l'abbaye de Gorze et les chanoines de Worms, à l'occasion de la dîme de Petershain.

Cartulaire, p. 220 et 221.

ITEM DE PETRESSEIM.

In nomine sancte et individue Trinitatis, tam presenti-

bus quam futuris in perpetuum. Quoniam beati pacifici filii Dei vocantur, valde sunt laudandi qui ad hoc student ut semper vigilent paci ecclesiarum ac quieti. Circa quod notum sit omnibus de çontroversia que erat inter fratres Wormacienses et monachos Gorzienses, super decima de Patresheim, diutinam durasse querelam. Cum tandem ex mandato domini pape utraque pars evocata est ad presentiam domni Hillini, venerabilis viri, Treverensis archiepiscopi, et magistri Ottonis, Capenbergensis abbatis, presidente venerabili et illustri viro Albanensi episcopo, Nicholao, apostolice sedis legato, qui, auditis ab utraque parte ad plenum ratiociniis, consilio tantorum virorum, causa ventilata et diu limata, precipue studio predicti cardinalis, utraque parte petente et assenciente, causa translata est in consilium pacis hoc modo, ut ecclesia Gorziensis XXI libram Wormaciensis monete Wormaciensibus semel darent, et ecclesia Wormacensis decimam totam, unde questio erat, Gorziensi ecclesie redderet et wirpiret. Tali igitur ratione, coram omnibus qui aderant, decima est reddita Gorziensi ecclesie. Et ut firmum hoc duraret factum, canonici Wormacienses qui aderant, pro se et pro aliis qui presentes non aderant, fidem dederunt in manum legati, et archiepiscopi, et magistri Ottonis, quod nec ipsi nec successores eorum prefatam decimam in manum abbatis Isembaldi redditam et resignatam, nunquam amplius aliqua occasione vel aliqua iniqua calliditate invaderent, vel in suos usus retraherent. Preterea antedictus legatus, et prefatus archiepiscopus, cum universis abbatibus qui presentes fuerant, ipsis eisdem canonicis consentientibus, super omnes illos anathema pronuntiaverunt qui ammodo de eadem decima, que in banno ville de Petrisheim datur vel accipitur, Gorziensem ecclesiam inquietarent vel vexarent.

Hujus autem rei et confirmationis nostre testes sunt qui viderunt et audierunt : Godefridus, majoris domus

prepositus; Johannes, archidiaconus; Baldericus, magister scolarum; Henricus, cantor; Sigerus, abbas Sancti Maximini; Conradus, prepositus Sancti Paulini; Luodewicus, abbas Sancte Marie; Ricardus de Sprenkeirsbach; Gregorius, abbas de Hozenbach; Bovo, prepositus Sancti Castoris in Confluentia; Rocelinus, archidiaconus Mettensis; Hitto, archipresbiter; Herbertus de Aspero monte; Adelinus, presbiter Odonis ville; Wiricus, monacus Gorziensis; Heimo; Mansuetus; Everardus; Gozmarus; anno Dominice incarnationis M° C° L° IIII, epacta IIII, indictione IIII.

164.

Au Latran, 27 avril 1157, 1158 ou 1159.

Le pape Adrien IV mande aux évêques de Metz, Toul et Verdun de contraindre les prêtres institués par l'abbé de Gorze à se soumettre au jugement de cet abbé pour le temporel de leurs églises.

Cartulaire, p. 221 et 222. — Publ. par Pflugk-Harttung, *Acta pont. Rom. ined.*, I, 227. Cf. les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 120, note (*a*).

PRIVILEGIUM ADRIANI PAPE DE INVESTITURA ECCLESIARUM.

Adrianus, episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Hen[rico], Tullensi, S[tephano], Mettensi, et A[lberto], Virdunensi episcopis, salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolice sedis mandata usque adeo rata esse oportet, et in sua consistere firmitate, quod nullius debent improbitate convelli, nullius presumptione turbari. Dilecto autem filio nostro I[sembaldo], Gorziensi abbati, nos olim dedisse recolimus in mandatis, ut sacerdotes qui ab eo investituram temporalium in ecclesiis suis recipiunt, nisi

plenam ei de ipsis temporalibus justiciam, cum ad rationem positi ab ipso fuerint, voluerint exibere, eisdem temporalibus non differat auctoritate nostra privare. Quia igitur nostrum super hoc mandatum inconcussum volumus et inviolabile permanere, fraternitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quantinus (*sic*) si predicti sacerdotes ad rationem positi memorato abbati super temporalibus noluerint respondere, eos ad hoc faciendum districtius compellatis. Si vero ipsi contumaces exstiterint, eos a divinis officiis suspendatis, et nos ipsam suspensionis sententiam ratam ac firmam usque ad condignam satisfactionem decernimus permanere.

Dat. Laterani, v kalendas maii.

165.

Bénévent, 3 juillet 1156.

Le pape Adrien IV invite l'évêque de Worms à protéger les moines de Gorze et à les laisser percevoir, dans les limites de son diocèse, les dîmes qu'ils ont perçues sans contestation depuis quarante années.

Cartulaire, p. 222 et 223. — Publ. par Pflugk-Harttung, *Acta pont. Rom. ined.*, I, 221.

Scriptum Adriani pape Wormatiensi episcopo.

Adrianus, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri.., Warmaciensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto amplius fratres Gorziensis monasterii divinis obsequiis jugiter inherere noscuntur, et quanto sacrosancte Romane ecclesie fideliores ac devotiores exsistunt, tanto magis eos sincere caritatis brachiis amplexamur, et ipsos honorare ac diligere, quibus modis convenit, exoptamus. Unde quoniam de tua devotione plenam fidutiam

obtinemus, tam abbatem quam fratres ejusdem loci caritati tue attentius commendamus, rogantes plurimum ut eos et bona ipsorum, pro reverentia beati Petri ac nostra, diligas ac manuteneas, et a pravorum impugnatione defendas. Quicquid enim honoris, dilectionis et commodi eis nostro interventu contuleris, tanquam nobis ipsis reputabis erogatum. Ut autem favore et patrocinio nostro idem fratres suam justiciam se gaudeant consecutos, per apostolica tibi scripta mandamus quatinus decimas quas ipsi a XL annis in episcopatu tuo sine contradictione recepisse noscuntur, eos permittas quiete et pacifice possidere, et ad eas diripiendas manum extendere non presumas, sed eo te precipimus esse contentum quod antecessores tui a XL retro annis exinde receperunt.

Dat. Beneventi, V nonas julii.

166.

Bénévent, 3 juillet 1156.

Le pape Adrien IV invite les archevêques de Trèves et de Reims, ainsi que les évêques de Toul, de Verdun, de Châlons et de Liège à favoriser les moines de Gorze et à prendre la défense de leurs personnes et de leurs biens.

Cartulaire, p. 223. — Publ. par Pflugk-Harttung, *Acta pont. Rom. ined.*, I, 221.

PRIVILEGIUM ADRIANI PAPE IIII.

Adrianus, episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Hy[llino], Treverensi archiepiscopo, apostolice sedis legato, S[amsoni], Remensi archiepiscopo, Henr[ico], Tullensi, A[lberto], Virdunensi, B[osoni], Cathalaunensi, et Henr[ico], Leodiensi episcopis, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto amplius fratres Gorziensis monasterii divinis

obsequiis jugiter inherere noscuntur, et quanto sacrosancte Romane ecclesie fideliores ac devotiores existunt, tanto magis eos sincere caritatis brachiis amplexamur, et ipsos honorare et diligere quibus modis convenit exoptamus. Unde, quoniam de vestra devotione plenam fiduciam habemus, tam abbatem quam fratres ejusdem loci caritati vestre attentius commendamus, rogantes plurimum ut eos et bona ipsorum, pro reverentia beati Petri ac nostra, diligere ac manutenere curetis, nec eos gravetis, nec gravari in aliquo permittatis. Quicquid enim honoris, dilectionis et commodi eis nostro interventu contuleritis, tanquam nobis ipsis reputabimus erogatum.

Dat. Beneventi, v nonas julii.

167.

Bénévent, 18 juin 1156.

Le pape Adrien IV ordonne aux prêtres institués dans les églises paroissiales qui dépendent de l'abbaye de Gorze de rendre à l'abbé de ce monastère les comptes du temporel de leurs églises.

Cartulaire, p. 223 et 224. — Publ. dans les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 120, et par Pflugk-Harttung, *Acta pont. Rom. ined.*, I, 220.

PRIVILEGIUM ADRIANI PAPE DE TRACTU ECCLESIARUM.

Adrianus, episcopus, servus servorum Dei, universis sacerdotibus in parrochialibus ecclesiis Gorziensis monasterii commanentibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilectus filius noster Isembaldus, Gorziensis abbas, directa nuper ad nos conquestione monstravit, quod cum de manu ipsius investituras ecclesiarum recipiatis, ei de temporalibus contradicitis ausu temerario respondere;

illud utique ad memoriam minime revocantes quod a Romanis est pontificibus institutum, sacerdotes in parrochialibus monasteriorum ecclesiis exsistentes, abbati de temporalibus, episcopo vero de spiritualibus, sine contradictione respondeant. Quia igitur et institutiones sanctorum patrum inviolabiliter volumus observare, et predictum filium nostrum abbatem sua justicia defraudari pati nec possumus nec debemus, per apostolica vobis scripta mandando precipimus quatinus ad ipsius vocationem accedere, et ei secundum quod debetis sufficienter de temporalibus respondere, nullatenus recusetis; alioquin liberam ei concessimus facultatem vobis temporalia que ad jus monasterii sui pertinent subtrahendi.

Data Beneventi, XIIII kalendas julii.

168.

Bénévent, 18 juin 1156.

Le pape Adrien IV écrit à l'abbé de Gorze qu'il a ordonné aux prêtres institués dans les églises paroissiales relevant de son abbaye de lui rendre les comptes du temporel de ces églises.

Cartulaire, p. 224. — Publ. par Pflugk-Harttung, *Acta pont. Rom. ined.*, I, 220.

ITEM PRIVILEGIUM ADRIANI PAPE.

Adrianus, episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio I[sembaldo], Gorziensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Quia personam tuam et commissam tue gubernationi ecclesiam sincera in Domino caritate diligimus, et quibus modis cum Deo possumus volumus honorare, postulationes tuas per dilectum filium B. . . . . . ., subdiaconum nostrum, nobis sollicita devotione porrectas, curavimus

attentius exaudire. Universis siquidem sacerdotibus in tuis parrochialibus ecclesiis existentibus dedimus in mandatis ut, secundum morem privilegii tui, tibi sufficienter de temporalibus, episcopo vero de spiritualibus debeant respondere. Quod si facere ausu temerario recusaverint, liberam tibi apostolice sedis auctoritate concedimus facultatem eis temporalia que ad jus monasterii tui pertinent subtrahendi.

Dat. Beneventi, XIIII kalendas julii.

169.

Bénévent, 15 juin 1156.

Le pape Adrien IV prend l'abbaye de Gorze avec tous ses biens sous la protection du Saint-Siège.

Cartulaire, p. 224-227. — Publ. par D. Calmet, *Hist. de Lorraine*, V, Preuves, col. CCCLVI, et par Pflugk-Harttung, *Acta pont. Rom. ined.*, I, 218.

ITEM PRIVILEGIUM DE LIBERTATE TOCIUS GORZIENSIS ECCLESIE.

Adrianus, episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Isembaldo, Gorziensis monasterii abbati, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Ad hoc universalis ecclesie cura nobis a provisore Deo omnium bonorum commissa est, ut religiosas diligamus personas, et bene placentem Deo religionem studeamus modis omnibus propagare. Nec enim Deo gratus aliquando famulatus impenditur, nisi ex caritatis radice procedens, a puritate religionis fuerit conservatus. Hoc nimirum caritatis intuitu, dilecte in Domino fili, Isembalde abbas, tuis rationabilibus postulationibus annuentes, Gorziense cenobium cui, Deo auctore, preesse dinosceris, cum omnibus ad ipsum pertinentibus, ad exemplar pre-

decessorum nostrorum felicis memorie Pascalis et Innocentii, Romanorum pontificum, sub apostolice sedis tutela suscipimus, et nostri scripti pagina comunimus, quod nimirum monasterium, per venerabilem apostolice sedis presulem Johannem, sacris pignoribus martyrum Gorgonii, Naboris et Nazarii, creditur insignitum. Per presentis igitur privilegii paginam apostolica auctoritate statuimus, ut quecumque possessiones, quecumque bona ad ipsum monasterium juste et legitime in presenti pertinere noscuntur, quecumque etiam in futurum, concessione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium, seu aliis justis modis poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et integra conserventur. Ipsum sane monasterii castrum ita liberum, ita immune persistere arbitramur, ut nulli seculari persone infra illud liceat sine abbatis fratrumque licentia habitare. In adjacenti etiam villa, nec diocesanus episcopus, nec archidiaconus, vel persona aliqua per eos missa, preter abbatis consensum ullam exerceat potestatem; sed tam villa quam capella ibi sita sub jure semper cenobii et abbatis dispositione persistentes, consuete libertatis integritate potiantur. Porro ecclesie sancti Nicholai secus villam Warengisi libertatem illam et immunitatem perpetuo confirmamus quam ei frater noster Bibo, Tullensis episcopus, in dedicatione concessit et per cyrographum, tam sua, quam clericorum suorum subscriptionibus, in ecclesie sue synodo roboravit. Prohibemus etiam ne quis vobis super altari ville Warengisi et ejus dote molestiam inferat; sed sicut hactenus mansit in vestri cenobii possessione permaneat; cujus vicarius pro animarum cura per episcopum suscepta cathedraticum solvere non cogatur. Idipsum etiam de Amella, Septiniaco, et cella beate Marie ante Asperum montem, presentis decreti auctoritate sanccimus. Preterea quod per privilegium Poponis, episcopi Mettensis, de Amella prefato monasterio statutum est confirmamus;

quidquid etiam juris habetis in cella de Patresheim, sicut ab initio quiete et rationabiliter possedistis, ecclesiam sancte Marie ejusdem ville, cum tota decima, sicut in carta compositionis continetur facta a venerabili fratre nostro Hyllino, Treverensi archiepiscopo, et magistro Ottoni de Cappenberge, et nobis ipsis, quando legationis officio fungebamur, et eorum siggilis et nostro confirmata, ecclesiam sancti Gorgonii de Flamersheim, ecclesiam de Isembork, ecclesiam de Syaco, ecclesiam de Noviant, ecclesiam de Odonis villa, ecclesiam de Enwaldi villa, ecclesiam de Widonis villa, ecclesiam de Jarney, ecclesiam de Sancto Marcello, ecclesiam de Vico, ecclesiam Sancti Lupi, ecclesiam sancte Libarie in Wasnau, ecclesiam de Hevre, et quicquid juris in eis recipere consuevistis. Decernimus etiam ut nullus omnino hominum in possessionibus vestris que hucusque advocatos non habuerunt, sine abbatis et fratrum conssensu, advocatias sibi audeat vendicare. Precipimus insuper ut nulli omnino liceat in parrochiis vestris ecclesiam vel capellam sine tua fratrumque licentia constituere. Sane in parrochialibus ecclesiis vestris liceat vobis sacerdotes eligere, et electos episcopo representare; quibus si idonei inventi fuerint, episcopus animarum curam committat, et episcopo quidem de spiritualibus, vobis autem de temporalibus debeant respondere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni et extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justicia matricis ecclesie. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum et beati Benedicti regulam, previderint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat supradictum monasterium temere perturbare, aut

ejus possessiones aufferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed illibata omnia et integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et subtentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tercio ve commonita, nisi presumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se juditio existere divino de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax domini nostri Jhesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen.

Ego Adrianus, catholice ecclesie episcopus, subscripsi. Bene valete.

Ego Hubaldus, presbiter cardinalis tituli Sancte Paxedis (*sic*), subscripsi. Ego Julius, presbiter cardinalis tituli Sancti Marcelli, subscripsi. Ego Girardus, presbiter cardinalis tituli Sancti Stephani in Celio monte, subscripsi. Ego Johannes, presbiter cardinalis Sanctorum Silvestri et Martini, subscripsi. Ego Henricus, presbiter cardinalis tituli Nerei et Achillei, subscripsi. Ego Guido, diaconus cardinalis Sancte Marie in Porticu. Ego Johannes, diaconus cardinalis Sanctorum Sergii et Bachi, subscripsi. Ego Odo, diaconus cardinalis Sancti Nicholai in Carcere Tulliano, subscripsi.

Dat. Beneventi, per manum Rolandi, sancte Romane ecclesie presbiteri cardinalis et cancellarii, XVII kalendas julii, indictione IIII, incarnationis Dominice anno M° C° LVI°, pontificatus vero domni Adriani pape IIII, anno II°.

170.

Châlons, 1157.

L'évêque de Châlons détermine, après enquête, les parts respectives de l'abbaye de Gorze et du prêtre de Vanault-le-Châtel, dans les revenus de cette paroisse.

Cartulaire, p. 227 et 228.

Privilegium de Wasnou.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Boso, Cathalaunensis episcopus.

Notum sit tam presentium existentie quam futurorum posteritati, hanc esse certitudinem cantuarii parrochie de Wasnou, que est juris ecclesie Sancti Gorgonii, secundum quod dilectus filius noster magister R..., ecclesie Sancti Stephani archidiaconus, sub districtione juramenti a parrochianis ipsis diligenter inquisivit. De annona presbiteri questio non est. Hec sunt que presbiteri sunt : per se, misse familiares, confessiones, cibus qui datur in prima die funeris, trigenarius et cybus de nuptiis. Luminare vero, quodcumque in ipsa ecclesia oblatum fuerit, ecclesie Sancti Gorgonii est ; et ex hoc ipsi parrochie in servitio Domini debet ministrare luminaria, et ipsi parrochiano presbitero, quater in anno, in Natali Domini, in Purificatione sancte Marie, in Pascha, in Pentecosten, dabit x candelas ; hoc tamen magis ex gratia quam ex debito.

Actum Cathalauni, anno incarnati Verbi M° C° L° VII, epacta vii, concurrente i°, indictione v.

171.

Metz, 1158.

Étienne, évêque de Metz, abandonne à l'abbaye de Gorze les onze salines qu'il a fait établir sans droit sur le domaine de l'abbaye à Vic.

Cartulaire, p. 228 et 229. — Publ. parmi les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 122.

CARTA DE XI SESSIBUS IN GRAVIRES.

Stephanus, Dei gratia Mettensis episcopus, dilecto fratri Isembaldo, abbati, et aliis sancte Gorziensis ecclesie filiis et fratribus, et ejus et eorum successoribus in perpetuum.

Quia subditos nostros salubriter instruere et ad ritum bene vivendi debemus informare, necessarium est ut quod in eis arguere volumus, in nobis primitus corrigere studeamus. Inde est, dilectissime frater Isembalde abbas, cum propter quosdam sessus patellarum, quos in fundo Beati Gorgonii, in villa que Vicus dicitur, construximus, multas querimonias ab ecclesia tua, quia sine suo assensu factum erat, accepissemus, quod si quid potentialiter et minus rationabiliter contra tuam et fratrum tuorum voluntatem egimus in hunc modum dignum duximus emendare. Sessus siquidem illos XI, in fundo Beati Gorgonii, in Gravieriis, sicut diximus, constructos de sumptibus nostris, peticioni tue libenter annuentes, ecclesie tue in perpetuum possidendos restituimus; hoc adicientes quod furcam, et alia ad usus sessuum illorum necessaria, cum banno libere habeatis; censum nichilominus et omnem redditum ad nos pertinentem, omnes etiam exactiones, vobis omnino pro salute anime nostre remittimus; eo tamen tenore quod, post obitum nostrum, dies anniversa-

rius noster in ecclesia Gorziensi memoriter in perpetuum celebretur, et fratres ibidem Deo servientes in cucullis et tunicis exinde vestiantur. Quod ut ratum permaneat, nostra et totius capituli nostri, Beati Stephani scilicet, auctoritate confirmantes, sigilli nostri impressione roboramus. Si qua igitur ecclesiastica secularisve persona hanc nostre institutionis paginam temere infringere presumpserit, perpetui anathematis sententie, donec resipuerit, subjaceat.

Hujus itaque donationis testes sunt : dominus Teodericus, primicerius; Symon, decanus et cantor; Rocelinus, Fridericus, Hugo, archidiaconi; Fulco, cancellarius; Ugo, magister scolarum; Albero, custos; Richerus, prepositus Sancti Salvatoris; Symon, abbas Sancti Arnulfi; Herbertus, abbas Sancti Simphoriani; Johannes, abbas Sancti Clementis; Hugo, comes civitatis; Rainaldus, comes Barrensis; Girardus de Custerei; Ulricus de Winesperch; Albertus, advocatus, et Petrus, filius ejus; Matheus de Jussei; Boemundus de Novo castro; Richardus de Chastel et Stephanus, frater ejus; Ugo, scabinio; Pitaldus.

Actum in generali synodo, Mettis, anno Dominice incarnationis M° C° LVIII.

172.

Entre 1120 et 1163.

L'archevêque de Trèves (?) approuve une disposition de l'évêque de Metz, en vertu de laquelle aucun prêtre ne peut dire la messe dans la chapelle Saint-Étienne en l'église de Vic, sans l'autorisation du prêtre de cette paroisse.

Cartulaire, p. 229 et 230.

De Vico.

Ex injuncto nobis pontificatus officio, non solum justis actionibus consilium et auxilium, sed et honestis postula-

tionibus assensum voluntarium conferre debemus. Inde est quod ea que karissimus frater noster S . . . . ., venerabilis Mettensis episcopus, et Hugo, archidiaconus ejus, de capella sancti Stephani, que infra parrochiam burgi qui Vicus dicitur sita est, decreverunt et statuerunt, confirmamus. Omnipotentis ergo Dei et ea qua fungimur auctoritate confirmamus, et pro bono pacis et discordie de cetero funditus vitande precipimus, ne quis presbiterorum, sine voluntario consensu et peticione benigna presbiteri parrochialis, in prefata capella missas vel quelibet divina celebrare presumat. Quod si quis hoc usurpare vel quolibet modo infringere attemptaverit, ordinis sui periculo subjaceat, et a communione reliquorum sacerdotum alienus existat, et de provintia penitus expelletur.

173.

Gorze, 1159.

L'abbé de Gorze Isembaldus prend les dispositions voulues pour qu'une chandelle brûle nuit et jour devant l'autel de saint Gorgon, en l'église de Gorze, et pour que sa mémoire soit commémorée chaque année dans cette église en un service anniversaire.

Cartulaire, p. 230.

De candela ardente ante altare sancti Gorgonii, et de servicio anniversario donni Isembaldi abbatis.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Notum sit omnibus ecclesie filiis, tam presentibus quam futuris, quod ego Isembaldus, Gorziensis ecclesie abbas indignus, honestati ejusdem ecclesie consulens et utilitati, constitui ut candela die ac nocte arderet ante altare beati Gorgonii. Ad hoc igitur lumen emendum custodi redditus delegavi, decimam scilicet de Moncels, quam per cubicula-

rium nostrum Godefridum acquisivi, et decimam cum censu de Imercurt, assensu et pari voluntate totius capituli. Super omnia autem, de salute sollicitus anime mee, constitui ut fratres servitium habeant in anniversario meo de censu domus quam triginta sex marcis emi Warmacie, quatinus memoriam mei devotius agant, et michi veniam apud Deum obtineant. Quicumque igitur hanc nostre institutionis, immo communis utilitatis et honoris ecclesie, cartam infringere presumpserit, reum se esse sciat, et divino judicio ac beati Gorgonii gladio feriendum se agnoscat.

Acta sunt hec in monasterio Gorziensi, sub testimonio totius capituli, anno M° C° LVIIII ab incarnatione Domini.

174.

Trèves, 1157.

L'archevêque de Trèves confirme à l'abbaye de Gorze la possession de ses biens de Stenay et de Mouzay, détermine les droits et les devoirs des prêtres de ces deux paroisses et donne à l'abbaye tout ce qui lui appartient dans l'église de Baalon.

Cartulaire, p. 230-233.

De Satanaco.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Hillinus, Dei gratia, Trevirorum humilis minister et servus, apostolice sedis legatus, venerabili et karissimo fratri Isembaldo, eadem gratia Gorziensi abbati, ejusque successoribus regulariter substituendis, et ejusdem ecclesie conventui imperpetuum.

Justum et rationabile fore cognoscimus et ad salutem animarum procul dubio pertinere, si occasionem litis, in his que stabilitatem obtinere debent, in posterum auferre

de medio studemus, et illarum ecclesiarum paci et quieti, que sine tranquillitate gratum Deo servitium exhibere non possunt, intuitu caritatis dare operam laboramus; quod profecto, quia viva voce fieri semper non potest, ut preter rationem loqui volentibus silentium imponatur, et multorum presumptio comprimatur, qui, peccatis nostris exigentibus, aliena tollere moliuntur, et alium in jure suo fatigare nullatenus erubescunt, scripto commendetur quod a longis retro temporibus rationabiliter et inconcusse possessum esse cognoscitur, et ex legitima donatione ducum vel principum ecclesiis pro salute animarum constat esse collatum, et suis munimentis confirmatum. Hac siquidem consideratione, dilecte in Domino fili Isembalde, venerabilis monasterii Gorziensis abbas, ecclesie tue, quam vera in Domino caritate diligimus, quantum ex officio nobis injuncto possumus et debemus paci et quieti providere volentes, quod ecclesia Gorziensis in Satanacensi et Mosacensi parrochiis, ex justa donatione ducis Godefridi et marchionis, de consensu Beatricis, uxoris sue, sicut in eorum scripto continetur, quiete possedit a longis retro temporibus et in pace possidet, sicut domini nostri apostolici viri tibi tuisque successoribus suis in perpetuum privilegiis confirmaverunt, ita et nos qua fungimur et possumus auctoritate Gorziensi ecclesie cui, Deo auctore, prees, hac scripti nostri pagina confirmamus, et sicut predecessorum nostrorum temporibus inconcussum permansit, ita et futuris temporibus inconvulsum permanere decernimus.

Preterea, ne sacerdotes qui in eisdem parrochiis successu temporis substituendi sunt, quod ad jus Gorziensis ecclesie spectat, suo presumant asscribere et in suis usibus ponere quid de ipsis parrochiis accipere debeant et habere, pro bono pacis in hac eadem pagina dignum duximus adnotare, ut hoc eodem contenti plus accipere non presumant. Nullus itaque sacerdos in eisdem parro-

chiis qualibet subreptionis astutia constituatur, nisi quem fratres Sathanacensis celle, que ad Gorziense monasterium cognoscitur rationabiliter pertinere, consilio et assensu abbatis et fratrum Gorziensium, in eis canonice providerint eligendum. Ille vero sacerdos qui per talem electionem in Sathanacensi parrochia fuerit constitutus, tantum ex decima matricis ecclesie et duarum capellarum sibi adjacentium accipiat, videlicet trecentos manipulos mixte segetis, quales dabuntur a populo, tertiam partem oblationum omnium, duabus vero partibus Sathanacensibus fratribus integre reservatis. Et si fratres ejusdem celle missas pro defunctis fuerint cantare rogati, sacerdos vocem non habeat prohibendi. De elemosina eorum qui in cimiterio fratrum sepeliri voluerint, si aliquod beneficium a defuncto sacerdoti denominatum non fuerit, XII denarios accipiet; si tanta fuerit elemosina et apud morientes fratrum beneficia non fraudabit. De oblationibus que in Natali, Resurrectione et Pentecosten, in missis tantum majoribus, offeruntur, que a fratribus in Sathanaci monasterio celebrantur, terciam partem accipiet. Ipse autem sacerdos qui per electionem fratrum, sicut superius dictum est, in Mosacensi parrochia fuerit ordinatus, de decima ejusdem parrochie centum manipulos accipiet, oblationum terciam partem; ex omnibus beneficiis mortuorum qui in cimiterio parrochie sepeliuntur, medietatem fratribus cum integritate et sine fraude persolvat. Et si quis de parrochia sua in cimiterio fratrum sepeliri deliberaverit, nullatenus prohibebit. Ministeriales vero, qui decimas minutas recipiunt, et edituos prefate celle prepositus debet sine contradictione aliqua constituere. In festivitate sancti Stephani, de exeniis que idem ministrales et editui deferent, sacerdos terciam partem habebit. Nichilominus fratres ejusdem celle ab injustis exactionibus et non consuetis servitiis esse volumus absolutos. Capellis vero ipsos parrochianos, sicut de jure debent,

que necessaria fuerint precipimus providere. Preterea, sicut antecessores nostri jam dicte celle concesserunt, ita et nos cereos concedimus et confirmamus, de his scilicet villis : Sathanaco, Mosaco, Servisiaco, Marthecurt, Olese, Vileio, Linaco, Noviantho, Bruenna, Sancto Wolfaio, Cavisiaco, item Cavisiaco, Moreio, Margurio, Beveio, item Beveio, Toma, Sinniaco, Marniaco, Breusio, Sapinio, Quinciaco, Inorto, Lamulier, Sumeiaco, Firteiaco.

Preterea, pro salute anime nostre et predecessorum nostrorum, quod in ecclesia de Balim nostri juris esse cognoscitur, ecclesie Gorziensi, tibi, karissime frater Isembalde, quem vere caritatis brachiis amplexamur, et per te tuis successoribus, rogante et consentiente fratre nostro Brunone, archidiacono, in cujus archidiaconatu ecclesia eadem sita est, et collaudante, collaudantibus etiam aliis personis ecclesie nostre et clericis concedimus et confirmamus futuris temporibus libere habendum et possidendum; hoc tamen excepto quod censum, qui de eadem ecclesia dari antiquis temporibus consuevit archidiacono, vel decano suo, annis singulis persolvetis. Si quis autem hanc nostram confirmationem sciens presumpserit infringere, omnipotentis Dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli indignationem incurrat, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit; cunctis autem eam servare volentibus sit pax domini nostri Jesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Ammen. Amen. Amen.

Testes hujus rei sunt : Godefridus, majoris domus prepositus; Rodulfus, decanus; Alexander, archidiaconus; Bruno, archidiaconus; Johannes, archidiaconus; Sigerus, abbas Sancti Maximini; Bertolfus, abbas Sancti Eucharii; Lodowicus, abbas Sancte Marie; Godefridus, abbas Sancti Martini; Randolfus, abbas de Claustro; Conradus, prepositus Sancti Paulini; Baldericus, prepositus Sancti

Symeonis; Bovo, prepositus Sancti Castoris; Robertus, Sancte Marie in Palaciolo.

Actum Treveris, anno Dominice incarnationis M° C° LVII, indictione v, Romane et apostolice sedi presidente Adriano papa IIII, regnante Friderico, imperatore augusto.

175.

Entre les années 1152 et 1160 (?).

L'archevêque de Trèves Hyllinus ratifie l'accord passé entre l'abbaye de Gorze et Hugo de Gondrecourt, à l'occasion de la terre de Mauvages donnée à l'abbaye par le roi Pépin et que ledit Hugo avait usurpée.

Cartulaire, p. 233 et 234.

De Malvage.

In nomine sancte et ind[ivid]ue Trinitatis. Ego Hyllinus, Dei gratia, Trevirorum humilis minister et servus, approbo et confirmo litteris et sigilli nostri impressione compositionem factam inter Hugonem de Gundricurt et ecclesiam sancti Gorgonii, pro terra de Malvage, quam rex Pippinus, pro salute anime sue, eidem beato martiri Gorgonio, in pratis, campis, silvis, decimis tam minutis quam grossis, aragiis, molendino et hominibus, in helemosinam, sub anathemate, confirmari fecit, et ipsa ecclesia plus quam centum annis in omni pace et libertate, sine aliqua dominatione possedit. Hanc regis elemosinam prefatus Hugo de Gondricurt, et domina Brunetta, cum filiis suis, et Gerredus, vir ejus, violenter invaserunt. Tandem omnia que invaserant, exceptis pratis, campis et hominibus, penitus wirpiverunt, et legali juditio et christianitatis juramento abjuraverunt, et fideijussores inde dederunt; testes etiam quamplures adhibuerunt. Si quis ergo hanc nostram confirmationem violare presumpserit, omnipoten-

tis Dei juditio et excommunicationis nostre sententia se noverit feriendum.

Testes hujus rei sunt isti : Ego Sigerus, abbas Sancti Maximini; Ego Bertuldus, abbas Sancti Eucharii; Ego Randulfus, abbas de Claustro; Ego Sigibaldus, abbas de Villare; Ego Johannes, Treverensis archidiaconus; Ego Conradus, Sancti Paulini prepositus; Ego Baldericus, magister scolarum Treverensis ecclesie, et Sancti Symeonis prepositus.

176.

Entre les années 1138 et 1163.

Étienne, évêque de Metz, déclare que son frère, le comte Thierry de Montbéliard, a reconnu le malfondé de la réclamation par lui faite à l'occasion de certaines personnes qui auraient quitté ses terres pour venir demeurer sur celles de l'abbaye de Gorze.

Cartulaire, p. 234 et 235.

Carta de Hugone et progenie ejus.

Stephanus, Dei gratia, Mettensis episcopus, omnibus fidelibus in Christo salutem. Quoniam multorum cupiditas ecclesiarum jura semper conatur infringere, summe necessarium est ex legitimorum virorum testimoniis et prelatorum privilegiis confirmari. Ut ergo meum non denegem testimonium veritati, noverit universitas fidelium quod frater meus Teodericus, comes de Montbiliart, cognati nostri Theoderici, Mettensis primicerii, confisus auxilio, domnum Isembaldum, ecclesie Gorziensis abbatem, in presentia mei in causam devocavit. Asserebat enim quosdam de sua familia Gorzie commorari, et precipue juvenem quendam, Hugonem nomine, cujus mater de Burgundie partibus venerat, se conquerebatur ammit-

tere. Juvenis autem jam dictus personas legitimas de terra sue nativitatis adducens, earum testimonio se non esse de fratris mei familia manu septima, sicut ei judicatum est, demonstravit. Quo cognito comes predictus illum et alios de quibus primo conquestus fuerat ecclesie benigne recognovit atque concessit, sine omni calumpnia in perpetuum possidendos. Hoc igitur in mei actum presentia testificor, et sigilli mei impressione confirmo. Et si quis de cetero super hoc ecclesiam Gorziensem inquietare presumpserit, noverit se maledictionem anathematis incurrisse.

Hujus rei testes sunt : Teodericus, primicerius Mettensis; Philippus, decanus Sancti Stephani; magister Hugo de Veso; Ulricus de Monzuns; magister Falco; Richardus, prior Gorziensis; Walfridus, prepositus; Albertus, capellanus; Haimo; Mansuetus; Widricus, monacus; Adelinus, sacerdos; Albertus, advocatus Mettensis; Warnerus de Rista; Johannes, dapifer; Ugo, scabinio Mettensis; Garsirius, filius ejus; Cono, advocatus Gorziensis; Renardus, villicus; Durannus et Bernardus, scab[iniones].

177.

Entre les années 1152 et 1160.

Étienne, évêque de Metz, confirme les donations de biens à Petershain faites à l'abbaye de Gorze par l'évêque Popo, son prédécesseur, et ajoute quelques biens nouveaux à ceux que l'abbaye possède en ce lieu.

Cartulaire, p. 235 et 236. — Publ. par Meurisse, *Hist. des évêques de Metz*, p. 415.

PRIVILEGIUM DONNI STEPHANI, METTENSIS EPISCOPI, DE PETERESEIM.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Stephanus, Dei

gratia, Mettensis episcopus, Isembaldo, Gorziensis ecclesie abbati, et fratribus inibi Deo servientibus, eorumque successoribus in perpetuum.

Fidei et dilectionis constantia quam vos, dilecti in Christo fratres, et predecessores vestri, nobis nostrisque predecessoribus exhibere consuevit, speciali quodam nos indesinenter vobis obligavit affectu, et ad peticionum vestrarum exauditionem reddit promptiores. Inde est quod vestris postulationibus assensum paterne inclinantes, totum ambitum atrii apud Patresehim, et cuncta que pie memorie domnus Popo, predecessor noster, vobis et fratribus ibi Deo servientibus et in perpetuum servituris concessit et confirmavit, nos quoque nostra vobis auctoritate concedimus et confirmamus, consilio et assensu Mettensis ecclesie communicato statuentes, ut non solum a prememorato predecessore nostro ibi vobis collata libera et quieta possessione teneatis, verum etiam quascumque alias terras in agris, aut pascuis, in cultis seu in incultis locis, ad nos et Beatum Stephanum Mettensem pertinentibus, ibidem fidelium Christi pro sua et suorum salute vobis contulit aut postmodum est collatura devotio, in ea libertate perpetuo possideatis ut inde nec exactiones, nec jura aut servitia aliqua solvatis, nec placita observetis, sed libera et omnimodis quieta gaudeatis possessione, quatinus posterius liberius divino possitis vacare servitio. Nemo autem nos de mensa nostra quicquam recidere aut ab ecclesia Mettensi aliquid alienare concessione tali arbitretur, presertim cum ecclesia Gorziensis quasi camera sit Mettensis episcopi et principale menbrum ecclesie Mettensis. Ut igitur hec nostri predecessoris nostraque donatio rata postmodum et inconvulsa permaneat, non solum nostri impressione sigilli, verum etiam testium subscriptione corroborare eam curavimus, statuentes ut quisquis eam infringere presumpserit, anathematis vinculo, donec condigne resipuerit, permaneat innodatus.

178.

Entre les années 1152 et 1160.

L'abbé de Gorze Isembaldus acense à l'abbaye de Sainte-Marie-au-Bois tout ce que son monastère possédait en cet endroit.

Cartulaire, p. 236. — Publ. par D. Calmet, *Hist. de Lorraine*, V, Preuves, col. cccxlij.

De Sancta Maria de Nemore.

Ego Isembaldus, abbas Gorziensis ecclesie, totusque conventus predicti loci, omnibus fidelibus Christi salutem in Domino. Notum vobis facimus totam partem nostram quam habemus apud Sanctam Mariam de Nemore, nos abbati et fratribus ejusdem ecclesie concessisse, per transcensum XII d[enariorum] quos debent nobis in sollempnitate beati Gorgonii singulis annis persolvere. Qua tenore volumus et decernimus ut fratres sub abbate loci predicti Deo servientes in perpetuum, remota omni infestatione a nostra ecclesia, per condictum transcensum teneant, et sic amodo nostro comuni assensu indeficienter habeant.

179.

Entre les années 1131 et 1156.

Adelbero, évêque de Verdun, déclare que Walterus de Mirvalt a renoncé à réclamer chaque année une rasière de froment au moulin d'Ormont (?), dépendance de l'abbaye de Gorze.

Cartulaire, p. 236 et 237.

De molendino sub Orimont sito.

Adelbero, Dei gratia, sancte Virdunensis ecclesie episcopus, universis fidelibus tam futuris quam presentibus

perpetuam in Domino salutem. Quia ad hoc preferimur in sancta ecclesia ut quod est neglegens vel inutile per nos utiliter corrigatur, et discordes ad concordiam revocentur, toto nisu et industria nobis est satagendum ut ad quod sumus constituti opere perficiamus. Hoc igitur nos per Dei auxilium jam olim pro posse et tempore adimplere studentes, in presenti etiam non interponimus causam vel discordiam inter Gorziensem ecclesiam et domnum Walterum de Mirvalt, pro molendino sub Orimont sito, diu habitam, ad pacem et concordiam reducendo et reductam confirmando. Nam idem Walterus tandem recognovit se injuste super illud molendinum rasarium frumenti quoque anno quesisse, et quia per terram nostram quam in feodo de nobis videbatur tenere rivus ipsius molendini in aliquo cursum habebat, nam sedes ejusdem est Beati Gorgonii, in manu nostra primum reposuit. Deinde coram nobis et tota curia nostra, tam pro se quam pro omni successore suo, wirpivit. Nos vero preposito Herberto Amellensi, loco Beati Gorgonii, sine aliqua occasione vel calumpnia reddidimus. Hoc autem ut stabile fieret, et nullus amodo infringere presumeret, sigilli nostri impressione curavimus signare, adscriptis testibus qui interfuerunt.

Hujus rei testes sunt : Albertus, primicerius; Andreas, archidiaconus; Johannes, archidiaconus; Richerus, canonicus; de laicis autem : Arnulphus de Does; Alexander de Braz; Milo de Fremelevile; Falco de Mirvalt, et multi alii.

180.

Entre les années 1152 et 1160.

Étienne, évêque de Metz, transfère à l'abbaye de Gorze les cens des terres appartenant à l'église de Metz, qui ont été donnés à l'église Saint-Georges de Petershain.

Cartulaire, p. 237 et 238.

Carta Stephani, Mettensis episcopi, de Petresseim.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Stephanus, Dei gratia Mettensis episcopus, dilecto filio suo Isembaldo, ecclesie Gorziensis abbati, omnibusque successoribus ejus in perpetuum.

Viri prudentis est non tantum presentia conspicere, sed quid in posterum possit accidere sollicite mentis oculo contemplari. Quapropter, quia confiteris te quid dies crastina pariat ignorare, et de futuro eventibus magis esse timendum quam sperandum, tempora semper in deterius prolabantur, a me cum summa sollicitudine postulas ut ea que ab episcopatu Mettensi, in loco qui dicitur Patresheim, Gorziensis ecclesia possidet, testimonii mei fulciantur munimine, et auctoritatis mee firmitudine confirmentur, ne quod nostri predecessores sanxerunt in irritum a nostris successoribus revocetur. Cujus peticionis tam honestate quam utilitate considerata et cognita, locus enim predictus ab episcopatus Mettensis potestate remotus est, ei dignum censui consentire. Ecclesie igitur Gorziensi que juris ipsius sunt integra conservare desiderans, census terrarum in partibus illis ad nos spectantium, quos beate anime pro salute sua ecclesie beati Georgii de Patresehim contulerunt vel conferent, Gorziensi cenobio concedo, et privilegii presentis auctoritate confirmo in perpetuum possidendos. Quod si quis hanc sanctam legitimamque sanctionem nitatur infringere, maledictioni anathematis se subjacere cognoverit.

Testes autem sunt : Teodericus, primicerius Mettensis; Phylippus, decanus ecclesie Sancte (*sic*) Stephani; Rocelinus, archidiaconus; magister Ugo de Vesou; Ulricus de Monzuns; magister Falco; Richardus, prior Gorziensis; Albertus, capellanus; Folmarus, ejusdem loci prepositus; Evrardus; Haymo; Wiricus, monachus; Adelinus,

sacerdos; Henricus, comes de Saumes; Albertus, advocatus Mettensis; Richardus de Rimport; Richardus et Henricus, frater ejus, de Castello; Ugo, scabinio Mettensis.

181.

Entre les années 1147 et 1151.

Barthélemy, évêque de Châlons, confirme à l'abbaye de Gorze la possession de l'autel de Vanault-le-Châtel.

Cartulaire, p. 238 et 239.

De altari de Wasnou.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Bartholomeus, humilis Cathalaunensis ecclesie episcopus. Si locis divino cultui mancipatis opem munificentie nostre impendimus, aut etiam res ecclesiasticas pastorali cura protegimus, et necessitatibus Christo famulantium sagaciter providemus, nostre auctoritatis officio consuescimus, ac per hoc facilius nos eternam beatitudinem, divina opitulante gratia, nos adepturos non dubitamus. Hac nimirum spe, hac provisione, preces venerabilium fratrum de Gorzia clementer amittentes, altare de Gausno, quod venerabilis bone memorie predecessor noster Gaufridus, tempore Odonis, clerici nostri, qui illud tenebat, eis concessit, presentis pagine assertione ecclesie Gorziensi nos quoque salvo jure episcopali concedimus, necnon testium subscriptione ac sigilli nostri impressione confirmamus. Quod si quis, calliditate aut cupiditate preventus, ausus fuerit hanc nostram donationem et confirmationem temerario spiritu violare, a divina ultione prostratus reatui anathematis subjaceat, et nichilominus hoc privilegium perpetuis temporibus maneat incorruptum.

Hujus rei testes sunt : Haymo, magnus archidiaconus; Lodowicus, abbas Sancti Petri de Montibus; Johannes,

cappellanus; Acarinus; Petrus, filius Bauduini; Petrus, decanus de Possessa; Odo de Gasno.

Actum est hoc per manum magni cancellarii.

182.

Entre les années 1152 et 1160.

Étienne, évêque de Metz, déclare que c'est à tort que Becelinus de Asmancia prétend que les trois charretées de vin qu'il réclame de l'abbaye de Gorze à Moivron lui sont dues en vertu d'une concession des évêques de Metz.

Cartulaire, p. 239 et 240.

CARTA STEPHANI, METENSIS EPISCOPI, DE TRIBUS CARRADIS VINI IN MOVIR[ONE].

Stephanus, Dei gratia, Mettensis episcopus, dilecto fratri Isembaldo, abbati, et aliis sancte Gorziensis ecclesie fratribus, et ejus et eorum successoribus in perpetuum.

Querelam, karissimi, in auribus nostris sepe depositam graviter ferimus, quod Becelinus de Asmancia in curia vestra de Monte Vironis tres carratas vini per singulos annos injuste exigit. Ideoque gravius offendimur quod idem Becelinus, falsitatem suam verisimilibus adinventionibus obumbrans, et injustam exactionem nostra auctoritate excusans, carratas illas nos quibusdam in feodum dedisse, et ab illis sibi jure hereditario falso asserit provenire. Nos itaque, quoniam filios tenebrarum prudentiores filiis lucis in generatione sua esse conspicimus, contra eorum versucias perpetue defensionis clipeum vobis pretendere cupientes, presentibus et futuris notum facimus et testamur, quod predictas carratas vini, nec nos nec aliquis predecessorum nostrorum, cuiquam in feodum dedimus, quia nec hoc nobis facere licuisset. Igitur collate nobis a Deo potestatis auctoritate interdicimus ne

super curiam illam de Monte Vironis, ad exigendum predictum vinum, aliquis presentium vel futurorum manus de cetero audeat extendere. Quod qui forte presumpserit, perpetue excommunicationis vinculum et eterne damptionis sententiam, nisi resipiscat, se intelligat incurrisse.

Testes sunt : Teodericus, primicerius; Philippus, decanus; Rocelinus, archidiaconus; Ugo, presbiter, Albero, presbiter, et canonici Sancti Stephani; Henricus, comes; Ugo, scabinio.

183.

Entre les années 1152 et 1156.

Albero, évêque de Verdun, à la demande de l'abbé et des moines de Gorze, modifie la répartition du produit des quêtes qui se font chaque année lors du synode qui se tient dans l'église de Brainville.

Cartulaire, p. 240.

Carta de ecclesia in Beronis villa.

In nomine Domini. Albero, Virdunensis ecclesie minister humilis, omnibus veritatem diligentibus salutem.

Quoniam antiquitus, quando synodus in ecclesia de Beronis villa annuatim ab archidiacono tenebatur, terciam partem questus abbas Gorziensis accipiebat, et archidiacono unum servitium apparare consuerat, ego et frater noster Johannes, archidiaconus, peticioni domni Isembaldi, venerabilis abbatis, et fratrum ejusdem Gorziensis ecclesie, adquiescentes, pro eorumdem quiete et pace aliter amodo fieri ordinamus, videlicet ut archidiaconus totum questum accipiat et ab abbate solitum servitium non exigat. Quod ut firmum teneatur, nostra auctoritate precipimus, et sigilli nostri impressione firmamus.

Hujus rei testes sunt : Albertus, primicerius; Andreas,

archidiaconus; Girardus, decanus de Asvillari; Symon de Henonvilla; Helyas de Hattonis castro.

184.

Entre les années 1152 et 1160.

Étienne, évêque de Metz, déclare que les gens de Gorze qui avaient construit des fours, au mépris des droits de l'abbaye, les ont détruits, en exécution d'un jugement rendu par la cour de Gorze.

Cartulaire, p. 240 et 241. — Publ. par Meurisse, *Hist. des évêques de Metz*, p. 415.

CARTA DE FURNIS IN GORZIA.

Stephanus, Dei gratia Mettensis episcopus, dilecto fratri Isembaldo, abbati, et aliis sancte Gorziensis ecclesie fratribus, et ejus et eorum successoribus in perpetuum.

Sicut in exordio crescentis ecclesie fideles anime terrena patrimonia ad celestes thesauros transferentes, ecclesiarum possessiones de suis facultatibus ampliabant, ita econtrario maxime istis temporibus flagiciosi homines que sua sunt querentes, non que Jesu Christi, collata olim ecclesiis beneficia occupare et earum jura infringere non verentur. Unde factum est ut, propter hujusmodi injurias crebro vobis illatas, querimonie non semel in auribus nostris deposite nos tandem Gorziam venire compulerunt. Ubi cum de jure vestro et de injuriis vobis factis nostra investigaret sedulitas, tandem ab hominibus curie illius, sub debite fidelitatis obtestatione summonitis, hoc inter cetera ad jus vestrum pertinentia relatum est, quod bannus totius ville, et taberne, et forum, et furni, specialiter et indominicate ad ecclesiam vestram pertinerent. Et quoniam plerique de hominibus Beati Gorgonii in predicta villa furnos proprios injuste cons-

truxisse confessi sunt, ipsi edificatores in presentia nostra, dictante juditio, eos destruxerunt. Propterea, dilectissimi, ut jus vestrum posteris manifestius appareret, sanctitati vestre paginam nostre testificationis indulsimus, et ne similem invasionem de cetero sentiatis, collate nobis a Deo potestatis auctoritate interdicimus. Quecumque igitur persona huic nostre auctoritatis munimento presumpserit obviare, perpetui anathematis vinculum et eterne dampnationis sententiam, donec resipiscat, se intelligat incurrisse.

Testes sunt : Gobertus de Aspero monte ; Girardus de Custerei ; Boemundus de Novo castro ; Albertus de Ventos ; Richardus de Rimport ; Matheus de Jussei ; Richardus et Henricus, fratres, de Castello.

185.

Entre les années 1163 et 1170 (?).

L'abbé de Gorze Albert déclare avoir donné au chapitre de son monastère vingt sous, à prendre chaque année sur les produits des fours banaux de Gorze qui sont affectés à l'abbé, à condition de célébrer à perpétuité l'anniversaire de l'évêque de Metz Étienne.

Cartulaire, p. 241 et 242.

De servicio anniversario donni Stephani, episcopi Metensis.

Ego Albertus, Dei gratia, ecclesie Gorziensis provisor, tam presentibus quam futuris notum facio quod ego, domini et patris mei bone memorie Stephani, venerabilis Mettensis episcopi, saluti prospiciens, de furnis bannalibus qui apud Gorziam ad mensam abbatis pertinere noscuntur, capitulo Gorziensi servitium xx^{ti} solidorum quotannis pro ipsius anima concessi, quatinus a generatione

in generationem anniversarium ejus debita devotione ibi celebretur, et divina pro ipso exoretur clementia.

186.

Entre les années 1161 et 1163.

Étienne, évêque de Metz, déclare que Gobert d'Apremont a promis de payer à l'abbé de Gorze trente-cinq livres de Châlons, pour jouir des droits qu'il revendiquait sur les terres de l'abbaye.

Cartulaire, p. 242 et 243.

CONTROVERSIA INTER ALBERTUM, ABBATEM GORZIENSEM, ET GOBERTUM DE ASPERO MONTE.

Stephanus, Dei gratia, Mettensis episcopus, presentibus et futuris in perpetuum.

Sicut, ex injuncto nobis pontificali officio, si qua inter fratres nostros controversia emerserit, eam ad bonum pacis reducere nostre interest sollicitudinis, sic etiam reformate pacis modum, ne res compositione sopita levi aliqua occasione in litem rediat, nostrum est litterarum tradere monimentis, et tam posterorum quam presentium cognitioni transmittere. Proinde atestatione presentis cyrographi tam futuris quam presentibus notum facere dignum duximus, quod fidelis noster Gobertus de Aspero monte, quicquid juris in angariis terrarum Sancti Gorgonii sibi vendicare volebat, unde et diu inter ipsum et ecclesiam Gorziensem controversia in nostra presentia fuerat ventilata, tandem communicato hinc inde consilio, dilecto filio nostro Alberto, abbati Gorziensi, pro xxxv libris Cathalaunensis monete oppigneravit; tali videlicet conditione interposita, quod donec predicto domno Alberto abbati, vel alicui ejus successorum, a prefato Goberto vel ab aliquo ejus successore summa ista persolveretur, pretaxata

angariarum calumpnia in bona pace sopita permaneret. Preterea hoc quoque premissis additum est pactionibus, quod si prefinitam pecuniam domino Gorziensi abbati reddi contigerit, nichil tamen inquietationis seu gravaminis terre vel hominibus Sancti Gorgonii a sepedicto Goberto vel ab aliquo ejus successore, occasione hujus calumnie, inferri licebit, quamdiu domnus abbas Gorziensis in nostra presentia justicie stare paratum se exhibuerit. Nec hoc silentio est pretereundum quod si, post redditam domino abbati Gorziensi pecuniam, in jus eos venire contigerit, ad illum statum causa eorum reverti debet in quo eam fuisse constat quando sepedicte calumpnie facta est oppigneratio. Ut igitur pactiones iste tam in presentiarum quam apud posteros rate et omnino inconvulse permaneant, tam sigilli nostri impressione quam testium subscriptione communire eas et confirmare curavimus, nostra statuentes auctoritate quod quisquis eas infringere temere presumpserit, sententia anathematis, donec condigne resipuerit, permaneat innodatus.

187.

Entre les années 1152 et 1160.

Folmarus, comte de Castel (?), et sa femme Clémence proclament qu'il est faux que Becelinus de Asmancia tienne d'eux les trois charretées de vin qu'il a revendiquées devant la cour de l'abbaye de Gorze à Moivron, en déclarant qu'elles faisaient partie du fief concédé par l'évêque de Metz à ladite Clémence.

Cartulaire, p. 243.

De Montviront.

Folmarus, Dei gratia, comes de Castel, dilecto fratri Isembaldo, abbati, et aliis sancte Gorziensis ecclesie fratribus, et eorum successoribus imperpetuum.

Audivi, dilectissimi, quod Becelinus de Asmantia, pro tribus carratis vini quas in curia vestra de Monte Vironis per singulos annos injuste exigit, sententiam anathematis incurrerit. Audivi nichilominus quod idem Becelinus, predictas carratas vini ad feodum quod ex parte uxoris mee a domino Mettensi habeo pertinere, et eas a nobis sibi jure hereditario asserens provenire, nos in partem culpe sue trahere non erubescat. Et quoniam ad hujusmodi non est minor culpa tacere veritatem quam dicere mendatium, ego et uxor mea Clementia, presentibus et futuris notum facimus et testamur, quod nec nos ab aliquo, nec ipse nec aliquis a nobis, jure in feodum habere debeamus. Unde et presentis pagine vobis testimonium relinquentes, sigilli nostri impressione dignum duximus confirmare.

Testes hujus rei sunt : Henricus, Tullensis episcopus; Henricus, comes de Salmes; Teodericus de la Haie; Herimannus de Mereburc; Ugo, Mettensis scabinio; Hugo de Sancto Dodone.

188.

Entre 1164 et 1171.

Thierry, évêque élu de Metz, fait savoir aux gens de Saint-Trond que, du consentement de l'abbé et des moines de leur ville, il a concédé à l'abbé de Gorze le droit d'établir une brasserie sur la terre que ledit Thierry possédait à Saint-Trond.

Cartulaire, p. 243.

De domo apud Sanctum Trudonem.

Teodericus, Dei gratia, Mettensis electus, fidelibus suis universis de Sancto Trudone salutem et omne bonum. Notum esse volumus universitati vestre nos dilecto filio nostro Gorziensi abbati partem dominicalis terre nostre apud vos concessisse, in qua ut cambam fieri faciat nostra

ei auctoritate concedimus. Ad quod nichilominus tam abbatis quam capituli Sancti Trudonis assensum eum habere sciatis.

189.

Entre les années 1164 et 1170.

Thierry, évêque élu de Metz, déclare que Becelinus de Asmancia a engagé à l'abbaye de Gorze, pour quarante livres de Châlons, les deux charretées de vin qu'il tient en fief de l'abbé de Gorze à Moivron.

Cartulaire, p. 243-245.

De duobus carradis vini de Mont Virone.

Ex humane fragilitatis defectu certum est evenire ut plerumque ea que sub tempore fiunt, cum ipso temporis occasu pretereant, et a noticia recedant, nisi litterarum tradita fuerint monimentis. Proinde ego Teodericus, Dei gratia, electus Mettensis, dignum duxi scripto commendare, et attestatione presentis cirographi cognitioni transmittere posterorum, quod Becelinus de Esmantia duas carratas vini de domino abbate Gorziensi apud Munt Virun jure feodi tenens, eas eidem domino abbati Gorziensi, Alberto, me presente, tam uxoris sue quam filiorum suorum laude et assensu, pro xl libris Cathalaunensis monete oppigneraverit; tali videlicet conditione interposita quod redimi eas non licebit donec, duabus vindemiis transactis, bis eas dominus abbas acceperit. Extunc autem annuatim redimere eas licitum erit infra statutum terminum, videlicet infra Assumptionem beate Marie; quandiu vero [infra] prescriptum terminum redempte non fuerint, tandiu, sequenti vindemiarum tempore, eas dominus abbas accipiet. Est etiam in mea retractatum et recognitum presentia quod, si forte Becelinum ab hac vita decedere contige-

rit, nulli nisi uxori sue redimere sepedictas carratas vini licebit, absque ipsius laude et assensu, presertim quas ipsa de domino abbate, facto ei hominio, recepit ad vitam suam, post decessum mariti eas habitura. Hoc quoque silentio minime est pretereundum quod prenominatus Becelinus me et fratrem meum Rainaldum, comitem Barrensem, erga dominum abbatem obsides constituit quod ipse, vel uxor sua, vel aliquis filiorum suorum, nunquam a prefinitis resiliet pactionibus; quas ego quoque, ad ampliorem earum confirmationem, et mei impressione sigilli, et testium idonea subscriptione, et anathematis inodatione confirmare et communire curavi.

Testes hujus pactionis : Fulmarus, primicerius; Symon, decanus; Rocelinus, archidiaconus; Hugo, archidiaconus; Fredericus, archidiaconus; Richerus, prepositus Sancti Salvatoris; Simon, abbas Sancti Arnulphi; Ulricus de Munçun; Gislebertus, capellanus; Jeronimus, cappellanus; Girardus de Arc; Hulduinus de Moylen; Petrus, advocatus Mettensis; Ulricus li Vaslez; Albertus de Ventois; Theobaldus et Philippus de Nominei; Walterus, filius advocati Gorzie; Symon, frater ejus; Godefridus, camerarius; Ugo, scabinio Mettensis; Jeremias de Portu; Richardus d'Espinal.

190.

Vers 1160?

Les moines de Gorze confirment au prêtre d'Apremont Herbert la possession de la prébende claustrale qui lui a été donnée par leurs prédécesseurs, en stipulant qu'après sa mort cette prébende appartiendra aux lépreux qui demeurent dans le domaine de Gorze.

Cartulaire, p. 245. — Publ. dans les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 123.

De prebenda Heriberti de Aspero monte.

Notum sit tam presentibus quam posteris, Gorziensis capituli fratres, Herberto, sacerdoti de Aspero monte, claustralem prebendam ei a predecessoribus ecclesie datam recognovisse recognitamque in perpetuum concessam confirmasse. Eam quippe, dum presens fuerit, recipiet, quando vero absens, leprosis in Gorziensis ville potestate territorioque manentibus erogabitur. Peracto vero vite sue spacio, jamdicta prebenda singulis diebus in mensa abbatis cum prebenda beate Marie posita, ab eisdem leprosis in perpetuum possidebitur. Cujus rei auctoritas et abbatis et capituli sigillo confirmatur. Si quis autem ab hac eum promissione frustrabitur, anathematis sciat sese sententie subjacere.

191.

Entre les années 1161 et 1170.

L'abbé de Gorze Albert cède au prêtre d'Amel et à ses successeurs les dotations de la chapelle de Senon, à charge par eux de célébrer dans cette chapelle les divins offices.

Cartulaire, p. 245 et 246.

Privilegium Alberti, abbatis Gorziensis, de Sennonis capella.

Noverit universitas fidelium me Albertum, Gorziensis ecclesie abbatem, totumque loci ejusdem conventum, sacerdoti Ammelle, Josperto, cunctisque successoribus ipsius, peticione plebis de Senun, concessisse dotalicia Senonensis capelle, que, sicut privilegia nostra testantur, nostri juris sunt possidere, ut ab ipso Josberto suisque successoribus inibi divinum celebretur officium. In festis

autem annalibus, et in Amellensis ecclesie dedicatione, ejusque patroni festivitate, predicte capelle barrochiam Amellam velut ad matris sue solatia revertentur. Quin etiam baptisterium cum sepultura in Amellensi parrochia percipient, ubi etiam ecclesiastici juris placita prosequentur. Si quis autem sacerdotum predicti loci concessionis hujus pactionem violare presumpserit, et semel et secundo vel tercio ammonitus ab abbate, vel Amellensi preposito, in presentia ipsius abbatis culpam corrigere neglexerit, hec tota constitutio sicut a principio ducatur in irritum, et Gorziensis ecclesia ad priorem redeat possessionem. Transgressores quoque, auctoritate Dei, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et sancti Gorgonii martyris, et sanctorum confessorum Martini, Benedicti et Leonardi, totiusque ecclesie catholice, anathematis sententia condempnamus.

192.

Entre les années 1164 et 1171.

Thierry, évêque élu de Metz, publie les conditions de l'accord passé entre l'abbaye de Gorze et les frères de Salival, pour le partage des dîmes de ce lieu.

Cartulaire, p. 246 et 247.

De Salin valle.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Theodericus, Dei gratia, Mettensis electus, presentibus et futuris.

Quos ad pontificalis officii sollicitudinem divina vocavit ordinatio, ad hoc nimirum attentius laborare et propensius debent eniti, ut commisse eis ecclesie glutino caritatis invicem vinciantur, et inter quas lis aliqua emerserit, pacis et concordie bonum quamcicius reformetur. Perinde tam presentibus quam futuris notum facere dignum duximus, quod cum, retroactis diebus, inter A[lbertum], abba-

tem Gorziensem, et fratres Saline vallis, occasione decimarum quas ab eis idem abbas exigebat, controversia diu ventilata fuisset, tandem nobis ad bonum pacis sollicite laborantibus, abbates Justimontis et Sancte Crucis, una cum abbate Sancti Arnulfi et Ulrico de Montione, mediatores inter eos, laude utriusque partis, constituti sunt. Qui talem inter eos compositionem in nostra presentia ordinaverunt, quod a metis determinatis usque ad abbatiam, et ab abbatia per totam vallem et collem, quantum parrochia Vici protenditur, usque ad terminos de Morville, quicumque incoluerit, medietatem decimarum, tam in vino quam in anona et leguminibus, Gorziensis ecclesia in perpetuum accipiet. Reliquam vero medietatem, cum particula terre que metas contingens Sancti Gorgonii dicebatur, et quicquid juris in minutis decimis loci hujus Gorziensis habebat ecclesia, ecclesia Saline vallis libere et quiete perpetuo possidebit. A metis autem versus Vicum, in universis terris, totas decimas Gorziensis ecclesia accipiet. Ut igitur hec coram nobis a viris religiosis et discretis rationabiliter ordinata compositio rata apud posteros et immutata permaneat, scripto eam commendare curavimus, et tam nostri impressione sigilli quam subscriptione testium communire.

Testes : Symon, abbas Sancti Arnulfi; Johannes, abbas Sancti Clementis; Stephanus, abbas Sancte Crucis; Godefridus, abbas Justimontis; monachi : Haymo, Gerardus, Rainaldus; Fredericus, archidiaconus; Albertus de Crispei; Ulricus de Munçun, et alii quamplures.

193.

Entre les années 1161 et 1169.

L'abbé de Saint-Mansuy reconnaît que la dîme de l'église de Dombasle appartient à l'abbaye de Gorze.

Cartulaire, p. 247.

SIGILLUM HAIMONIS ALBI DE DOMNO BASOLO.

Alberto, Dei gratia, venerabili abbati, reverentissimoque conventui sancte Gorziensis ecclesie, J[ohannes], humilis provisor ecclesie Sancti Mansueti, gloriam perpetue felicitatis.

Noverit paternitas et dilectio vestra nos vestris hylari corde acquiescere velle consiliis, quippe cum nichil illicitum, nichil indiscretum consulatis. Cum ergo tractum ecclesie Domni Basoli, licet injuste, quorumdam tamen prava suggestione, nostrum esse dixerimus, vobis eum et recognoscimus et concedimus, rogantes ut et nos que ibidem nostri juris sunt in pace possideamus. Ut autem quod verbo promittimus executione operis impleamus, domnum Haymonem, archidiaconum, in presentia vestri mittimus, quatinus tractum prenominate ecclesie, quem a nobis injuste receperat, a pietate vestra legitime et canonice nostris precibus recipiat, nostraque societas et benivolentia, sicut optamus, in Christo firma permaneat. Valete.

194.

1168.

Gobert, châtelain d'Apremont, remet entre les mains de Thierry, évêque élu de Metz, la chapelle d'Apremont qu'il tenait de lui en fief, à condition qu'elle sera donnée à l'abbaye de Gorze.

Cartulaire, p. 247 et 248. — Publ. dans les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 129.

SIGILLUM GOBERTI DE ASPERO MONTE.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Gobertus, Asperi montis castellanus, tam presentibus quam futuris in perpetuum.

Quoniam peccatis nostris exigentibus ad id devenimus malum inconstantie et incredulitatis, ut vix his que occulo ad occulum videmus inpresentiarum fidem adibeamus, multo magis constat posteros nostros diceptare et ambigere de his que modo agimus, nisi scripto quod esse perhennius estea[1] commendemus. Noverint igitur qui venturi sunt quod ego Gobertus, memor injuriarum quas intuli Gorziensi cenobio, timens anime mee periculum, capellam Asperi montis, quam tenebam in manu mea in feodo et in hominio a domino Teoderico, electo, ejusque predecessoribus, tali conditione sibimet reddidi ut eam redderet ecclesie Gorziensi in perpetuum possidendam. Quod factum est, supradicto electo consentiente, Matheique de Jussi juditio, et Rickardo, et fratre ejus Stephano de Castello, et Hugone de Chacenval ei testimonium perhibentibus, aliisque quamplurimis. Ut autem de hoc beneficio nullus apud posteros nostros scrupulus dubietatis habeatur, sigilli mei impressione confirmavi.

Hujus rei testes sunt : Jobertus, capellanus; magister Jeronimus; abbas Gorziensis Albertus; Herbertus et Isembaldus, monachi; Matheus de Jussi, et filius suus; Richardus et Stephanus, frater ejus, de Castel; Hugo de Chacenval, et multi alii tam nobiles quam ignobiles.

Factum est hoc anno ab incarnatione Dei M° C° LX octavo, epacta nona, concurrente I° cum bisexto.

195.

Entre les années 1161 et 1170.

L'abbé de Gorze Albert acense aux habitants de Gorze l'alleu dit *Holdieri vicus*, situé aux portes de son abbaye et qui depuis longtemps était inculte.

Cartulaire, p. 248 et 249.

1. *Sic*, peut-être pour *debet ?*

Scriptum donni Alberti abbatis de Holdieri mehne.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Albertus, Dei gratia, sancte Gorziensis ecclesie provisor, licet indignus, omnibus Christi fidelibus et utilitatem sancte ecclesie diligentibus, pacem et salutem, et peccatorum suorum remissionem.

Ego igitur Albertus, considerans quia qui bene ministraverit bonum sibi a Deo gradum adquirit, et qui talentum sibi creditum in terra absconderit sententiam inde reatus incurrit, ab hoc laqueo cupiens evadere, sensum meum, vitam meam, posse meum, quoad potui, decrevi hactenus utilitati ecclesie mihi commisse accomodare. Hujus rei gratia, quoddam nostrum allodium a prioribus nostris Holdieri vicum vocatum, quia multis annis jacuerat incultum, quia nullum ecclesie nostre inde proveniebat commodum, quia nobis erat in dedecus et in scandalum, quia ante portam nostram ita jacens nobis erat obprobrium, statui quoquo modo reparandum ac relevandum. Quia vero multa habebamus ad faciendum, et terras ad arandum, et vineas ad excolendum, nec ad hoc opus singulare studium habere poteramus, hominibus nostris territorii videlicet Gorziensis terra laboratoria indigentibus illud idem alodium, tali ratione, tali consilio, tali intuitu, ad trecensum concessimus, divisimus, dimisimus, ut quia nichil inde habebamus per eos aliquid inde haberemus, et de unoquoque jornali ab eis nobis annuatim, in festo beati Remigii, vi nummi persolvantur. Si autem, quod absit! aliquis prefatum trecensum eadem die persolvere nequiverit, in festo usque beati Martini expectabitur, et si tunc non persolverit in crastino, in eadem terra nichil habebit. At vero si quis paupertate oppressus eandem terram vendere coactus fuerit, nulli omnino nisi homini beati Gorgonii eam dimittere poterit. Ut igitur

hec nostra constitutio firma et inconvulsa et etiam inconcussa permaneat, sigilli nostri eam impressione roboravimus, et nominibus dominorum nostrorum atque baronorum adnotare precepimus. Eorum autem nomina hec sunt : domnus Johannes, abbas Sancti Clementis; Gislebertus, sancte Gorziensis ecclesie prior atque decanus; Petrus, ejusdem ecclesie primisernius (*sic*); Richardus, apocrisarius; Robertus; Fulco; Raimbaldus; Petrus; item alius Petrus; Godefridus, cartularius; Haymo, prepositus atque warinus; Galterus, advocatus; Raimundus, villicus; Rainaldus de Tantali villa; Rodulfus de Widoni villa; Godefridus; Bartholomeus; Galterus.

196.

1166.

Pierre, évêque de Toul, ratifie le jugement qui a alloué à l'abbaye de Gorze une partie des menues dîmes de Mauvages.

Cartulaire, p. 249 et 250.

De Malvage.

Petrus, Dei gratia, Leuchorum humilis episcopus, omnibus tam presentis quam futuri evi Christi fidelibus gratia vobis et pax multiplicetur.

Religiosarum mentium est semper pacem amare, eaque quibus violari potest studiose fugere, nostrumque ex officio ipsis super hoc consulere, et que ad quietem ipsarum pertinent dictis et litteris confirmare. Noticie igitur omnium manifestamus quod, cum in manu nostra esset altare de Malvage antequam onus pontificalis officii susscepissemus, fratres Gorziensis cenobii multociens nos convenerunt super duabus partibus minutarum decimarum de Malvage, quod injuste eis auferrentur. Cumque eos multociens calumpniantes surda aure preterissemus,

tandem timore Dei correcti, permisimus eos in causam venire, et legitimis hominibus, ut nobis justum visum fuit, causam suam ostendere et enarrare. Quo facto, quod suum erat, judicio et justicia probante, eis habere concessimus. Hinc vero cum ad plenitudinem episcopalis officii pervenissemus, ut ecclesia Gorziensis hec deinceps in perpetuum possideret, archidiacono Ulrico Lingonensis, qui curam archidiaconatus de Malvage pro puero filio ducis Teoderico providebat, collaudante et concedente, pontificali auctoritate confirmavimus. Ne quis autem temerarius super his in posterum calumpniam movere presumat, vel ecclesie molestiam aliquam inferat, sub excommunicationis sententia nostri nominis impressione bullatis litteris corroboramus.

Actum est hoc sub testimonio legitimorum virorum. S. Hugonis, abbatis Sancti Apri; S. Theoderici, abbatis Sancti Mansueti; S. Sigifridi, abbatis Sancti Leonis; S. Ulrici, archidiaconi Lingonensis; S. Gualteri, archidiaconi; S. Milonis, cantoris et archidiaconi; S. Haymonis, archidiaconi; S. Alberici, archidiaconi et capellani, et aliorum quamplurimorum.

Confirmata sunt hec anno ab incarnatione Domini M° C° LXVI, indictione XIIII, epacta XVII, concurrente V.

197.

Entre 1164 et 1170.

L'abbé de Gorze Albert vend certaines parties de vigne appartenant à son monastère à Vittonville.

Cartulaire, p. 250.

De vineis venditis in Wittonis villa.

Quod ad multorum, et non solum presentium sed et futurorum, noticiam pervenire congruum duximus, litte-

rarum monimentis mandare provida deliberatione curavimus. Noverit ergo presens etas, omniumque secutura posteritas, quod ego Albertus, abbas Gorziensis, tum fratrum consilio et ammonitu, tum Mettensis electi voluntate et assensu, necnon nobilibus ecclesie viris laudantibus, quasdam partes vinee apud Witonis villam consistentis, et fere nichil fructus nobis conferentis, Hugoni et Rainero vendiderim, ab illis de cetero possidendas, eo tenore, eo jure quo ecclesia nostra, XL annis et eo amplius, legitime, absque ulla invasione, vel aliquo impedimento possedit. Vendidi enim quod erat exiguum et inutile, et ejusdem pretio venditionis aliud comparavi, quod erit semper fructuosius ecclesie, duplicato fenore. Quod ut solidetur et intemeratum perpetuo conservetur, sigilli mei assignatione et testium subscriptorum idonea approbatione corroborare et confirmare studui.

Testes sunt isti : Raimbadus, prior; Haymo, prepositus; Girardus, camerarius; Johannes, sacerdos Gorzie; Johannes, vicarius ejus; Cono, advocatus; Walterus, filius ejus; Godefridus, camerarius; Bertrannus, filius ejus; Lambertus, miles; Anscherus, prepositus de Tyrei.

198.

Worms, 17 mai 882.

Charles le Gros confirme à l'abbaye de Gorze la possession de la villa de Moivron, avec l'église et tous les manses qui en dépendent.

Cartulaire, p. 250-252. — Publ. dans les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 42. Cf. Bœhmer-Muehlbacher, *Regesten des Kaiserreichs*, *etc.*, p. 625.

Preceptum donni Karoli regis de Monte Vironis.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Karolus, divina favente gratia, imperator augustus. Quicquid enim locis

sanctorum venerabilium ibique Deo degentium fratrum, ob amorem domini nostri Jhesu Christi, pia devotione augmentamus vel confirmamus, hoc nobis procul dubio ad mercedem et stabilitatem regni in Dei nomine pertinere confidimus, et profuturum nobis ad presentis vite curricula felicius trasienda (*sic*) necnon et beatitudinis premia securius obtinenda non dubitamus. Quapropter comperiat omnium sancte Dei ecclesie fidelium nostrorumque presentium scilicet et futurorum industria, quia fratres ex cenobio sancti Petri necnon et beatissimi Gorgonii, eximii martyris Christi, post obitum Valaonis episcopi, nostram adeuntes clementiam, reclamando innotuerunt quod substantia et victus illorum minus deerant necessaria; unde deprecantes nostram mansuetudinem ut, pro amore Dei et reverentia sanctorum inibi quiescentium, nostra largitate ex rebus ejusdem ecclesie aliquid restitueremus, et restituta in augmentum substantie, victus ac vestimenti, pro remedio animarum antecessorum nostreque ac conjugis, deinceps ad emolumentum proficerent. Quorum peticionibus aures misericordie nostre libenter assensum prebentes, quia ipsa ecclesia in manibus nostris habebatur, per consultum Wodelrici, fidelissimi nostri nepotis, ceterorumque nostrorum fidelium, ad eorundem fratrum usus concessimus, ac precepto auctoritatis nostre constituimus : hoc est villam Montis Vironis, una cum ecclesia, et mansis cum omni integritate ad ipsam villam juste pertinentibus ; eo scilicet rationis tenore ut deinceps, nostris futurisque temporibus, potestatem habeant ipsi monachi de prefatis rebus ordinandi, legitimo dumtaxat jure, de suis usibus quicquid rationabiliter una cum prelato voluerint vel elegerint; et nulla regia vel episcopalis unquam potestas hoc nostre auctoritatis preceptum infringere vel violare audeat, sed ut superius dictum est, pro mercedis nostre augmento ac genitoris

nostri attentius Domini implorent misericordiam. Si quis vero hoc auctoritatis nostre preceptum irrumpere vel violare, aut irritum facere presumpserit, iram Dei sciat se incursurum, et decem libras auri compositurum, medietatem palatio nostra (*sic*), et medietatem prefate ecclesie congregationi. Et ut nostre augmentationis confirmatio futuris temporibus firmior habeatur, et ab omnibus verius credatur, et diligencius observetur, hoc idem preceptum manu propria subterfirmavimus, et anuli nostri impressione sigillari jussimus.

Signum domni Karoli, serenissimi imperatoris augusti. (*Monogramme.*)

Waldo, notarius, ad vicem Liutwardi, archicancellarii, recognovi.

Data XVI kalendas junii, anno incarnationis Dominice DCCCLXXXII, indictione XV, anno vero imperii piissimi imperatoris Karoli II.

Actum in Wormatia civitate, in Dei nomine feliciter. Amen.

199.

Capoue, 26 septembre 982.

Othon II ratifie la donation faite à l'abbaye de Gorze par Conrad, fils du comte Rodolphe, de tous les biens qu'il possédait en Lorraine, à Amel, Morlange, etc.

Cartulaire, p. 252 et 253. — Publ. par Chifflet, *Commentarius Lothariensis*, 10; par Mabillon, *De re diplomatica*, 575; par Martène, *Thesaurus anecdotorum*, I, 98; par D. Calmet, *Hist. de Lorraine*, II, Preuves, col. CCXL; dans le *Rec. des Historiens de France*, IX, 395; par Jeantin, *Chron. de l'Ardenne*, I, 35; et dans les *Diplomatum regum et imperatorum Germaniæ* t. II, p. 325. Cf. Bœhmer, *Reg.* 598, et Stumpf, *Reg.* 825.

Privilegium donni Ottonis imperatoris de dono comitis Cononis in Amella.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Otto, divina favente clementia, imperator augustus.

Si peticiones fidelium nostrorum, quas pro usu et statu ecclesiarum, ac remedio animarum suarum, in conspectu imperii nostri fundunt, pia devotione compleverimus, id procul dubio ad presentis vite statum et eterne beatitudinis premia capessenda nobis proficere confidimus. Quapropter, omnium fidelium nostrorum presentium ac futurorum noverit pia devotio, qualiter Cunradus, filius Ruodolfi, quondam comitis, in die belli quod fuit inter nos et Sarracenos, sub fanone nostro, hoc est imperiali vexillo, legali ritu tradendum nobis commendavit omne predium suum quod habuit in regno Lothariensi, rogavitque in conspectu totius exercitus nostram dominationem humiliter, ut hoc totum parvum cum magno ad monasterium sancti Gorgonii martyris, in loco Gorzia vocato constructum, nostra preceptione, si ea die moreretur, sicut fecit, traderemus. Ejus peticionem, post belli eventum, cum fidelibus nostris colloquentes, in primis interventu dilecte contectalis nostre Theophanie videlicet imperatricis auguste, ac postea consultu fidelium nostrorum, Ottonis scilicet, fratruelis nostri, Alemannorum Bajoriorumque ducis, ac Deoderici, Mettensis ecclesie venerabilis episcopi, aliorumque carorum nostrorum, sicut petivit ac tradidit, nova tradidione nostre auctoritatis adimplevimus; concedentes hac nostre celsitudinis donatione omnem proprietatem quam habuit in regno Lothariensi, parvam et magnam, ad prefati loci monasterium in honore Sancti Gorgonii jamdicti martyris constructum, ac subditum cum omnibus pertinentiis suis sancto Stephano prothomartyri, cujus ecclesia in civitate Mettis vocata honorabi-

liter constructa et consecrata videtur, cui etiam presidet antefatus magne reverentie Deodericus episcopus, hoc est ad integrum illuc imperiali potestate; tradentes curtes suas Amella et Geldulfi villa vocatas, in pago Webra dicto, et in comitatu Reginhardi comitis sitas, cum omnibus rite ad illas curtes aspicientibus; curtes quoque suas Morlingas et Lezhei nominatas, in pago Mosalgowe vocato, et in comitatu Sigifridi comitis sitas, cum omni usu illuc pertinente; similiter curtem suam Lunglar nuncupatam, in pago Osning nominato, et in comitatu Rozilonis comitis sitam, cum suis pertinentiis; curtem insuper suam Velme nominatam, in pago Haspongowe, et in comitatu Eremfridi comitis sitam, cum suis pertinentiis; adhuc etiam addentes curtem suam Ernustes Wilere vocitatam, in pago Bliesichgove, et in comitatu Wolemari comitis sitam, cum omnibus utensilibus illuc et ad prescriptas curtes in regno Lothariensi ubicunque ibi jaceat aspicientibus, in mancipiis utriusque sexus, areis, edificiis, ecclesiis, terris, cultis et incultis, agris, pratis, campis, pascuis, vineis, silvis, venationibus, aquis aquarumve decursibus, piscationibus, molendinis, viis et inviis, exitibus et redditibus, quesitis et inquirendis, mobilibus et immobilibus, cunctisque aliis appenditiis que adhuc dici aliquo modo aut nominari possunt. Et ut hec nostre auctoritatis donatio per futurum tempus firma inconvulsaque consistat, hoc nostre magnitudinis preceptum inde conscriptum sigillo nostro signari jussimus, manuque propria, ut infra videtur, corroboravimus.

Signum domni Ottonis, invictissimi imperatoris augusti (*Monogramme*). Hildeboldus, episcopus et cancellarius, vice Willigisi, archicapellani, recognovi et subscripsi.

Data VI kalendas octobris, anno Dominice incarnationis DCCCCLXXXII, indictione II, an[n]o vero regni secundi Ottonis xx° v°, imperii autem xv.

Actum Capue feliciter, in Dei nomine. Amen.

200.

1171.

Thierry, élu de Metz, donne à l'abbaye de Gorze la chapelle Saint-Étienne à Gorze.

Cartulaire, p. 253-255.

CARTA TEODERICI, METTENSIS ELECTI, DE CAPELLA SANCTI STEPHANI IN GORZIA.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Teodericus, Dei gratia, Mettensis electus, Petro, venerabili abbati Gorziensis ecclesie, et capitulo, eisque regulariter substituendis in perpetuum.

Ex debito commissi nobis pontificalis officii, ecclesiarum nostrarum promotioni sedulo intendere nostre interest sollicitudinis, et illarum possessiones cura propensiori pro nostre possibilitatis modulo ampliare, quas sacre religioni et divino obsequio dignius et perfectius mancipari constiterit. Inde est quod tuis, dilecte in Christo fili Petre, Gorziensis ecclesie abbas, et fratrum tibi creditorum piis postulationibus assensum nostrum, una cum nepote nostro Hugone, primicerio, et ejusdem loci archidiacono, tanto benignius inclinantes quanto laudabilius vestra Domino cognoscitur militare devotio, capellam sub titulo beati Stephani prothomartyris, in villa Gorziensi sitam, vobis vestrisque in perpetuum successoribus concessimus, et contradidimus in hunc modum, ut non solum decimationes ad eam pertinentes, verum etiam oblationes et cuncta ad altare spectantia, quiete, libere et integre, a generatione in generationem possideatis; hoc dumtaxat excepto quod vicarius, pro laboris sui mercede, ex vestra et ipsius conventione accipiet. Hunc sane videlicet vicarium, post decessum Johannis, qui capellam

hanc quando hec gesta sunt jure proprii pastoris tenebat, et ad vitam suam erat habiturus, eligendi et constituendi liberam habebitis, vos vestrique successores, potestatem, qui a vobis ad archidiaconum et episcopum Mettensem conductus, curam recipiet animarum, et exinde synodis interesse et de spiritalibus respondere tenebitur; ita tamen quod pro nulla ipsius culpa capella sigillabitur, nec interdicti sententia ferietur. Ita etiam in possessione capelle hujus gaudebitis omnimoda libertate; quod nemo ibi aliquo tempore, preter vos et vicarium vestrum, concilium celebrabit; et justicie de quocumque parrochianorum excessu provenientes vestre integre erunt, nisi forte aliquem judiciario ordine excommunicari contigerit; justicie enim de excommunicato aliquo provenientis due partes nostre erunt, tercia archidiaconi. Campanarium seu custodem capelle pro vestro arbitrio ponetis et deponetis, qui vobis fidelitatem jurabit de sacris vasis, et sacris vestibus, et libris vestrisque capitalibus servandis. Ad majorem autem geste rei confirmationem, super altare sancti Gorgonii, per nostrum et archidiaconi manum, in plurimorum qui aderant presentia, sollempniter facta est donatio ista, statimque excommunicationis sententiam in eos fecimus usque ad condignam satisfactionem promulgari, qui inde vos postmodum inquietare aut injuria aliqua molestare presumpserint. Et quoniam prona est ad malum presens etas, et injuriarum incentores diebus istis contra famulos Dei pullulare consueverunt, hec presenti scripto commendare dignum duximus, ipsumque contra quamlibet malignantium pravitatem, tam nostro quam archidiaconi sigillo, corroborare, et, ut omnimoda stabilitate nitatur, subscriptione testium communire; nostra auctoritate statuentes, ut quisquis huic nostre donationi postmodum contraire presumpserit, vinculo anatematis, donec condigne resipuerit, innodatus et a communione fidelium Christi sequestratus permaneat.

Testes : Odo, archidiaconus primus; Arnulfus, archidiaconus; Saliers, canonicus Sancti Stephani; Ulricus de Monzon; Jeronimus; Johannes, sacerdos; Henricus, comes de Salmis; Lambertus de Munzon; Ingo, clericus, et Warnerus, miles, filii ejus; Stephanus, frater ejus; Pontius, dapifer; Rodulfus, frater ejus; Bertrannus; Fulco; Johannes; Lietardus de Thasei; Ascelinus, prior Gorzie; Isembaldus; Haymo, camerarius; Girardus, prepositus; Petrus, custos; Symon, cantor; Raimbaldus, elemosinarius; Fredericus, archidiaconus; Simon, decanus Sancti Stephani, et omnis conventus.

201.

Trèves, 1171.

Arnoldus, archevêque de Trèves, ratifie le don de la chapelle Saint-Étienne à Gorze, fait à l'abbaye de Gorze par Thierry, élu de Metz.

Cartulaire, p. 255-257.

CARTA ARNOLDI, TREVIRENSIS ARCHIEPISCOPI, DE EADEM CAPELLA.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Arnoldus, Dei gratia, Trevirensis humilis minister, dilecto in Christo filio Petro, ecclesie Gorziensis venerabili abbati, totique capitulo, omnibusque successoribus ejus canonice substituendis in perpetuum.

Cum suam unicuique justiciam, justicie exigente ratione, conservare debeamus, ratio tamen officii nostri postulat ecclesiarum nobis creditarum paci et quieti cura sollertiori providere, et que illis rationabiliter collata esse cognoscimus auctoritatis nostre privilegio confirmare. Agnoscat ergo tam presens etas quam futura, quod venerabilis frater Theodericus, ecclesie Mettensis electus,

capellam sub titulo beati prothomartyris Stephani, sitam in villa Gorziensi, karissimo filio nostro Petro, ejusdem loci venerabili abbati, omnibusque successoribus ejus canonice substituendis, consensu Hugonis, primicerii, necnon proprii qui tunc quando hec acta sunt ibidem erat pastoris, omniumque personarum totiusque capituli ecclesie Mettensis assensu, cum omni integritate contradidit in hunc modum : ut ecclesia Gorziensis et ejusdem loci abbas, non solum decimationes ad eandem capellam pertinentes, verum etiam oblationes et cuncta ad altare spectantia quiete, libere ac integre in eternum possideant; et de vicariis ibidem eligendis et constituendis plenam et liberam potestatem in perpetuum habeant; qui vicarius ad archidiaconum et episcopum Mettensem conductus, curam recipiet animarum, et exinde synodis interesse, et de spiritalibus respondere tenebitur; ita tamen quod pro nulla ipsius culpa capella sigillabitur, nec interdicti sententia ferietur. Ita etiam in possessione hujus capelle abbas suique successores omnimoda fruantur libertate; quod nemo ibi aliquo tempore preter abbatem et ipsius vicarium synodum celebrabit; et justicie de quocumque parrochianorum excessu provenientes abbatis integre erunt, nisi forte aliquem ordine judiciario excommunicari contigerit, quarum due partes abbatis, tercia archidiaconi erit. Campanarium seu custodem capelle pro suo arbitrio abbas ponet et deponet, qui ei fidelitatem jurabit de sacris vasis, et sacris vestibus, et de capitalibus ipsius servandis. Tam justis ergo votis et tam rationabili facto predicti fratris nostri T., Mettensis ecclesie electi, assensum prestantes, et tuis justis peticionibus, dilecte in Christo fili Petre, ecclesie Gorziensis abba, pii patris more aures benignissimas accomodantes, hanc donationem cum omni integritate et jure quo tibi et ecclesie tue ex privilegio prenominati fratris nostri tradita esse dignoscitur, presenti confirmationis scripto tibi tuisque successoribus in per-

petuum confirmamus, et testibus idoneis qui interfuerunt, quique hoc factum ex privilegio jam dicti fratris nostri audierunt et cognoverunt, adnotatis, banni et sigilli nostri munimento corroboramus. Si quis igitur sciens hanc donationem infringere seu nostram confirmationem infirmare attemptaverit, secundo terciove commonitus, si non resipuerit, indignationem Dei omnipotentis incurrat, et a corpore et a sanguine domini nostri Jhesu Christi alienatus, in extremo examine districte ultioni subjaceat.

Testes : Rodulfus, ecclesie Trevirensis major prepositus; Johannes, decanus et archidiaconus; Folmarus, archidiaconus; Sigifridus, prepositus Sancti Cast[oris] in Confluent[ia]; Gerardus, prepositus Palatioli; Arnoldus, abbas Sancti Maximini; Lodowicus, abbas Sancti Eucharii; Reimbaldus, Sancte Marie, Oliverus, Sancti Martini, Godefridus, Sprenkerb[acensis], abbates; Wezelo, ecclesie Beati Petri Trevirensis cantor; magister Ivo; Theodericus.

Acta sunt hec Treviris, anno Dominice incarnationis millesimo C LXXI°, concurrente IIII, anno pontificatus nostri I, regnante serenissimo imperatore domino Friderico feliciter. Amen.

202.

Worms, 29 mai 1173.

Sigifridus, prévôt *de domo* de l'église de Worms, déclare que le prêtre de Petershain a fait amende honorable à l'abbaye de Gorze pour les torts qu'il lui a causés, et a promis de se contenter à l'avenir du cinquième de la dîme de Petershain et d'être fidèle à l'abbaye.

Cartulaire, p. 257 et 258.

CARTA DE ECCLESIA DE PETERESEIM.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Sigifri-

dus, Dei gratia, sancte Wormaciensis ecclesie prepositus de domo.

Quoniam sanctorum patrum auctoritas ecclesias Dei ex nomine dignitatis nostre contra infideles manutenere ac sublimare nos ammonet, inde est quod universis tam future posteritatis quam nostri temporis Christi fidelibus significare decrevimus qualiter Petrus, Dei gratia abbas Gorziensis ecclesie, veniens ad nos, gravem injuriam a Sifrido, parrochiano in Peternsheim, sibi illatam coram nobis deposuit; scilicet quod antiqua statuta IIII^or partium totius decime tam frugum quam peccorum, quas ecclesia Gorziensis ordinaverat ex antiquo sibi deservire, relinquens scilicet quintam partem pastori, qua parte predecessores sui hucusque contenti ecclesiam Gorziensem non inquietaverant, ipse prefatus Sifridus non contentus decimam prefate ecclesie contra rationem violenter invaserit et abstulerit. Prenominatus vero Sifridus reum se esse cognoscens, usus consilio nostri et auxilio totius capituli, gratiam domni abbatis quesivit et invenit, videlicet ratione ut quinta parte totius decime in Paternsheim contentus, ecclesie Gorziensi quoad viveret fidelem se in omnibus exhiberet. Hujus rei pactio coram nobis atque in presentia totius capituli Wormatie est facta, atque huic pagine inscripta, sigilli Beati Petri et nostri impressione est roborata, subscriptis testibus quorum nomina hec sunt : Sifridus, prepositus de domo; Luipoldus, sacrista; Gernoudus, decanus; Luipoldus, prepositus de domo nova; Wortuinus, decanus. Liberi : Helengerus, Volricus, Vuernherus. Ministeriales : Wernherus, Purchardus vicedomnus, Richezo, Wernherus, Giselbraht, Wolverat, Cunradus, Heinricus, Ruggerus.

Acta sunt hec Wormatie, anno incarnationis Dominice M^o C^o LXXIII, indictione XIIII, sub die IIII^a kalendarum junii.

203.

Toul, 11 octobre 1101.

Pibo, évêque de Toul, consacre l'église de Saint-Nicolas-du-Port, annexe de celle de Varangéville, et détermine les droits de cette nouvelle église.

Cartulaire, p. 258-260.

PRIVILEGIUM DONNI BIBONIS EPISCOPI DE ALTARE SANCTI NICHOLAI.

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Omnibus christiane fidei cultoribus, Pibo, gratia Dei, Tullensis ecclesie episcopus, in vinculo pacis uniri ut possint Christo incorporari. Supernorum civium societas, quod quibusque commoditatibus exuberet, humani ingenii facultas evoluere gensliens succumbit, cum scriptum sit : « In cor hominis non ascendit que preparavit Deus diligentibus se ; » ad quam variarum gradibus virtutum devotioni fidelium facilis patet progressus, veritate attestante que ait : « Jugum enim meum suave est et onus meum leve ; » sed caritatis virtus, cujus opus in proximi dilectione perpenditur, velut quodam privilegio specialem introducendi optinet dignitatem. Spe igitur illius desiderabilis societatis, et fraterne dilectionis amore, homines de Porto totiens raptorum sevitia afflictos, et fere omnibus casibus expositos, non sine grandi dolore recolentes, intervallo quippe et frequenti intercurrentis fluvii magnitudine a monasterio divisi, nec prout erat dignum sacris pasci misteriis, nec necessitatis tempore in atrio poterant habere refugium, ecclesiam quam pie memorie abbas Heinricus eis edificare concesserat, in eadem libertate quam antiquitus et nostris temporibus optinet mater ecclesia Warengisi ville, scilicet a censu et

omni exactione immunem, cleri nostri consilio consecravimus. Homines ejusdem ville prepositus tali dispensatione juramento astruxit, ne propter vicinam ecclesiam a servitio fratrum liberiores se crederent, ne decimas vel ceteros redditus minuerent, sed licet in atrio habitarent, quicquid antiqua consuetudine soliti erant absque refragatione persolverent. Si alicujus necessitatis causa ibidem missam audire vellent, vicarium monasterii familiaritas vel obsequium eorum interpellaret; sin autem ad monasterium sicut prius convenirent, et prepositus qualiter ibi divinum obsequium ageretur ordinaret; siquidem ad locum illum de pastorali cura nichil adtinet, sed velut quodlibet altare monasterii hoc fratrum dispositioni concessimus. Prepositus ibidem custodem deputabit, qui si quid fidelium devotio Deo sanctoque Nicholao presentaverit, in usus fratrum fideliter servet, nisi quod vicario monasterii oblationis que quidem in missa ad manum offeretur mediam partem tribuet. Videtur etiam idoneum vestre insinuare dilectioni quod prefata ecclesia Warengisi ville antiquitus possidet mediam partem decimarum de novem quartariis de Lherimontis, quicumque eos colat. Possidet etiam in parrochiis circumjacentibus de omnibus corvadis suis omnem decimationem, de ancingis mediam partem; apud villam autem, et apud Mannonis curtem, et apud Bellois, de crovadis (*sic*) et ancingis suis omnem decimationem, et de aliis terris ad eandem ecclesiam pertinentibus mediam partem. Hec ne vetustatis situ aboleret oblivio, scripto memorie commendare curavimus. Quod autem, misericordia quidem cooperante, caritatis affectu impendimus, ne quis successorum immutare presumat, pontificali auctoritate, sub anathematis vinculo, cum sigilli nostri impressione confirmare decrevimus; addito etiam probabilium virorum testimonio, quorum nomina subnotantur.

Signum domni Bibonis episcopi; S. Riquini, primice-

rii; Signum Brunonis, cardinalis archidiaconi; Signum Stephani, ejusdem archidiaconi; S. Raimbaldi, archidiaconi; S. Hugonis, archidiaconi; S. Tizelini, archidiaconi; S. Alberonis, cancellarii; S. Albrici, capellani; S. Widrici, abbatis Sancti Apri; S. Temari, abbatis Sancti Mansueti; S. Seheri, abbatis Sancti Leonis; S. Odelrici, abbatis Sancti Michaelis; S. Hubini, decani; S. Teoderici ducis; S. Gerardi, fratris ejus; S. comitis Reinardi; S. Odelrici de Brissei; S. Petri, filii ejus; S. Morundi de Altirei; S. Teoderici de Nancei.

Acta Tulli, in majori ecclesia, in plena synodo, v idus octobris, anno ab incarnatione Domini M° C° I, indictione viiii, anno ordinationis nostre xxxii, interveniente domno Adelone, ejusdem loci preposito.

204.

Entre les années 1173 et 1179.

Thierry, élu de Metz, confirme à l'abbaye de Gorze la possession de la chapelle Saint-Étienne à Gorze.

Cartulaire, p. 260 et 261.

De ecclesia sancti Stephani in Gorzia.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Teodericus, Dei gratia, Mettensis electus, Petro, venerabili abbati Gorziensis ecclesie, et capitulo, eisque regulariter substituendis in perpetuum.

Ex debito nobis commissi pontificalis officii ecclesiarum nostrarum promotioni sedulo intendere nostre interest sollicitudinis, et illarum possessiones cura propensiori pro nostre possibilitatis modulo ampliare, quas sacre religioni et divino obsequio dignius et perfectius mancipari constiterit. Inde est quod tuis, dilecte Gorziensis

abbas Petre, et fratrum tibi creditorum piis postulationibus assensum nostrum inclinantes, capellam sancti Stephani vobis vestrisque in perpetuum successoribus libere confirmamus possidendam, in hunc modum, ut non solum decimationes ad eam pertinentes, verum etiam oblationes et cuncta ad altare spectantia, quiete, libere ac integre, a generatione in generationem possideatis, hoc dumtaxat excepto quod vicarius, pro laboris sui mercede ex vestra et ipsius conventione accipiet. Hunc sane videlicet vicarium eligendi et constituendi liberam habebitis, vos vestrique successores, potestatem, qui a vobis ad archidiaconum et episcopum Mettensem adductus, curam recipiet animarum, et exinde synodis interesse et de spiritualibus respondere tenebitur; ita tamen quod pro nullius culpe ipsius causa capella sigillabitur, nec interdicti sententia ferietur. Ita etiam in possessione capelle hujus gaudebitis omnimoda libertate; quod nemo ibi aliquo tempore, preter vos et vicarium vestrum, concilium celebrabit; et justicie de quocumque parrochianorum excessu vestre erunt integre, nisi forte judiciario ordine aliquem excommunicari contigerit; justicie enim de aliquo excommunicato provenientes vestre erunt due partes, III^a archidiacono. Campanarium seu custodem capelle pro arbitrio vestro ponetis et deponetis, qui vobis fidelitatem jurabit, de sacris vasis, vestibus et libris, vestrisque capitalibus servandis. Hoc igitur presenti scripto et sigillo nostro corroboramus, et testium subscriptione munimus, auctoritate nostra statuentes ut quisquis hujus confirmationis privilegio contraire, vel privilegia Romane sedis de eadem capella temerare presumpserit, vinculo anathematis, donec condigne resipuerit, innodatus, et a communione fidelium Christi sequestratus permaneat. Testes...[1].

1. Le reste de la charte n'a pas été transcrit dans le Cartulaire.

205.

Commencement du XIVe siècle (?).

Notice des biens que le seigneur d'Apremont tient en fief de l'abbaye de Gorze.

Cartulaire, p. 261.

De Aspremont, de Pennes, de Jonville, de Saint-Marcel.

Connue choze soit à touz ke li sires d'Aspremont doit repanre de l'albei de Gorze an fiel et an homage l'avouerie de Pannes et cen qui i apant, lou cornaige de la terre de Gorze et cen qui i apant, Jonville et lo molin et cen qui i apant, Saint-Marcel et cen qui i apant, Chairei et cen qui i apant.

206.

Entre les années 1176 et 1179.

Thierry, élu de Metz, confirme à l'abbaye de Gorze le droit exclusif d'édifier un moulin à Noireterre.

Cartulaire, p. 261 et 262.

De molendino ad Nigram terram.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego T[eodericus], Dei gratia, Mettensis electus, omnibus Gorziensis ecclesie filiis in perpetuum substituendis.

Quoniam rata debent esse que ad honorem Dei fiunt et utilitatem ecclesie, litterarum committuntur memorie ne videlicet oblitterentur aliqua oblivione, aut immutentur malorum cupida improbitate. Itaque hoc intuitu litteris committimus quod Drogo, miles, et Ida, uxor ejus, inter alia que sancto Gorgonio contulerunt vel commodata red-

diderunt, dimidiam partem molendini in loco qui dicitur ad Nigram terram ecclesie Gorziensi contulerunt, unde et quoad vixerunt duas prebendas respectu humanitatis et beneficii ab ecclesia receperunt; alteram vero partem Waltherus, nepos et heres predicti Drogonis sancto Gorgonio cum omnibus que habuit dedit, cujus et prebendarius et conversus fieri meruit. Quo defuncto, Symon, qui nomen sibi advocati, cum non esset, sibi usurpabat, nepos quidem ejusdem Waltheri, sedem et locum predicti molendini jam dudum destructi invasit et hereditare injuste voluit, reclamante etiam et contradicente capitulo, et apud nos conquerente, contra preceptum nostrum reedificavit. Ego autem lecto cyrographo de predicta donatione molendini, clamore et peticione tocius Gorziensis capituli, justo judicio tocius curie nostre, molendinum destruxi, et in potestatem ecclesie cujus erat locum redegi. Sollempni itaque facta excommunicatione, auctoritate nostra statuimus et precipimus ne aliquis locum illum ad se trahere vel molendinum reedificare, exceptis fratribus ecclesie, presumat, sed sub jure ecclesie in perpetuum maneat, ita ut nec ipsi abbati vendere vel invadiare seu in feodum dare, sine capitulo, sicut nec alias possessiones ecclesie liceat. Ut ergo istud ratum et inviolatum consistat, presentem paginam sigilli nostri impressione munimus, et testibus subscriptis confirmamus.

Testes hujus rei : Ego Teodericus, Mettensis electus; Petrus, abbas Gorziensis; Johannes, abbas Sancti Clementis; dominus Symon dux; comes Robertus, patruus ejus; Raimbaldus, prior; Girardus, prepositus Waringysi ville et totus conventus Gorziensis; Teodericus et Albertus, canonici; Albertus de Novo castro; magister Albricus; Girardus de Sintherio; Petrus, advocatus Mettensis; Poncius, dapifer; Richardus et Stephanus, fratres, de Castel; Burchardus de Crispeio; Ugo, scabinio, et plures alii.

207.

Beaupré, 22 mars 1174 (?).

Thierry, élu de Metz, ratifie l'arrangement en vertu duquel André de Asmantia a renoncé aux deux charretées de vin qu'il tenait en fief de l'abbaye de Gorze, à condition que cette abbaye lui paierait cent livres de Châlons.

Cartulaire, p. 262-264.

De duobus carratis vini apud Monuere.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Teodericus, Dei gratia, Mettensis electus, Petro, venerabili abbati Gorziensis cenobii, et capitulo, eisque regulariter substituendis in perpetuum.

Rationi consentaneis sanctorum patrum sanctionibus inperantur ecclesie sancte prelati curam gerere subditorum, et quanto magis se subjecti religioni viteque subdiderint sanctiori, tanto ferventius illi quos Deus preesse voluerit sollicitudinem majorem eis et rebus eorum tenentur inpendere. Inde ego, Dei gratia, T[eodericus], Mettensis electus, cum universas episcopatus nostri ecclesias defensare, et quamlibet earum in sua dignitate pro viribus nostris decreverim conservare, specialiter tamen cenobium Gorziense, quod rigor ordinis, et fervor karitatis, et hospitalitatis benignitas commendabile reddunt, protegere et custodire disposui. Fidelibus igitur omnibus notum fieri volo quod cum domnus Andreas de Asmantia duas vini carratas in feodum a Gorziensi teneret ecclesia, considerans se eas non omnino juste et legitime possidere, saluti sue seu predecessorum suorum sive successorum suorum consuluit, et predictum feodum ordine judiciario predicto cenobio reconsignavit. In presentia siquidem comitis Barrensis Heinrici predictum feodum,

judicio Balduini de Aspero monte, in manu Petri abbatis reddidit, et juditio Richardi de Castro super Mosellam, cum fratre suo Gaufredo, et matre sua Lupa, et omnibus qui in ea re aliquid juris videbantur habere, guirpivit. Pro cujus feodi restitutione sive redditione, prenominatus abbas, tocius capituli sui consensu et consilio, opus misericordie et humanitatis agens, predicto Andree centum libras Cathalaunensium prebuit. Sed quia gestorum memoria plerumque prolixa temporum successione deletur, nisi fuerit litterarum consolidata suffragiis, facti hujus tenorem scripti presentis attestatione, et sigilli nostri inpressione confirmo. Si quis autem ecclesiam Gorziensem super hoc inquietare aliquo modo presumpserit, vel quod juste et legitime factum est in irritum revocare voluerit, insolubilibus anathematis se cognoverit vinculis illigatum.

Testes : Symon, abbas Sancti Arnulfi; Johannes, abbas Sancti Clementis; Rambaldus, prior Gorziensis; Haimo et Fulcho, monachi; Heinricus, archidiaconus Mettensis; Wilhelmus, cantor; Anselmus, magister scolarum; Symon, filius ducis; Hugo de Milcei; Drogo de Nancei; Balduinus et Johannes et Andreas; Waltherus et Wilhelmus; Warnerus de Monzuns; Richardus de Castello; Burchardus; Hugo; Clarenbaldus de Labria; Nicholaus.

Data apud Bellum pratum, anno Dominice incarnationis M° C° LXXIIII, indictione VI, concurrente VII, XI kalendas aprilis. Actum feliciter in nomine Domini. Amen.

208.

Entre les années 1152 et 1160.

Étienne, évêque de Metz, confirme à l'abbaye de Gorze la donation d'un alleu à Brainville, qui lui avait été faite par Alexandre de Jussey.

Cartulaire, p. 264 et 265.

De Brani villa per Allexandrum puerum de Jusseyo.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Stephanus, Dei gratia, Mettensis episcopus, omnibus Gorziensis ecclesie filiis in perpetuum substituendis.

Quoniam novissimis diebus necesse est tempora periculosa instare, et incentores malorum contra ecclesiam Dei pullulare, ex commisso nobis pontificatus officio, tenemur ecclesiarum nobis commissarum utilitati sedulo intendere, et donationes fidelium non solum privilegiis sed etiam excommunicationis munire virtute. Inde est quod presentibus et futuris notum volumus fieri qualiter Alexander, puer de Jusseio, filius Alexandri, alodium suum de Brani villa contulerit ecclesie Gorziensi. Postquam enim in infirmitate qua et mortuus est decubuit, venerabilem prefate ecclesie abbatem Isembaldum, cum fratribus suis evocavit, quibus animam suam et corpus commisit, et predictum alodium, terciam partem Branni ville, in decimis, familiis, silvis, pratis, pascuis, aquis, rivis, cultis et incultis, et in omnibus omnino locis vel usibus, sub omni jure libertatis, sicut et libere possidebat, assensu omnium amichorum suorum eis contradidit, et per manus nobilis viri domni Ebali de Confluentia, et Hugonis de Labreio, liberi hominis Sancti Stephani, super altare sancti Gorgonii optulit, et ut donum suum excommunicatione muniretur rogavit. Nos igitur in omnes qui huic donationi qualibet occasione contraire presumserint maledictionis sententiam non solum ore proprio intorsimus, verum etiam per reverendum tunc temporis, quando hec donatio facta est, Albanensem episcopum, et apostolice sedis legatum, Nicholaum, mox vero, quando hoc privilegium conscriptum est, de legato papam Adrianum (*sic*) in ecclesia Gorziensi excommunicari fecimus, et tam sua quam et nostra et beati Petri auctoritate Gorziensi ecclesie predicti

alodii liberam ac quietam possessionem confirmavimus. Ut igitur istud ratum et inviolabile permaneat, sigillo nostro premunimus, et testibus subscriptis roboramus.

Testes : Philippus, decanus Sancti Stephani; Teodericus, primicerius; Rocelinus, archidiaconus; comes Heinricus de Salmis; Ebalus de Confluentio; Cono de Malber; Hugo et Clarembaldus, fratres, de Labrieo; Isembaldus, abbas, et totus conventus Gorziensis.

209.

Entre les années 1164 et 1170.

Thierry, élu de Metz, déclare que, pour reconnaître le don qui lui a été fait d'un terrain à Saint-Trond pour établir une brasserie, l'abbaye de Gorze a promis de donner chaque année à l'église de Metz trois cierges, à brûler devant le tombeau de l'évêque de Metz Étienne au jour de son anniversaire.

Cartulaire, p. 265 et 266. — Publ. parmi les Preuves de l'*Hist. de Metz* des Bénédictins, III, 130.

De area apud Sanctum Trudonem.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Teodericus, Dei gratia, electus Mettensis, ecclesiis Mettensi et Gorziensi in perpetuum.

Quoniam sancte matris sue Metensi ecclesie fidelis semper et obediens Gorziensis fuit ecclesia, et eidem in suis necessitatibus filialem exhibere affectum nunquam dissimulavit, tam a nobis quam a predecessoribus nostris diligi plurimum atque honorari meruit, et in suis sepe postulationibus exaudiri. Noverit itaque presens etas et generatio postfutura, quod venerabilis frater Albertus, Gorziensis ecclesie abbas, a pie memorie domno Stephano, predecessore nostro, et a capitulo Mettensi, sibi et sue

ecclesie in perpetuum retroactis temporibus aream quandam inpetravit juxta Sanctum Trudonem, ubi horrea sibi suisque successoribus in partibus illis valde necessaria edificavit. Ceterum, cum ibidem camba quoque, que alio nomine brachina dicitur, nichilominus indigeret eamque simul cum horreis memorati loci angustia non caperet, tempore consequenti, cum nos ad pontificale officium divina vocasset ordinatio, partem contigue terre ubi camba construi posset sibi et suis in perpetuum successoribus donari nos et ecclesiam rogavit Mettensem. Cujus peticioni una cum capitulo Mettensi benigne acquievimus, et pro salute prefati inclite memorie predecessoris nostri, postulatum ei et sue in perpetuum ecclesie, absque reclamatione aliqua, concessimus locum. Ipse vero accepti beneficii non ingratus, et caritatis donum caritative reconpensans, se et successores suos, laude sui capituli, nobis et Mettensi ecclesie pactione tali obligavit, videlicet quod ipse vel quisquis successor ejus fuerit, singulis annis, in festo beati Tome, quartam cere subcustodi Mettensis ecclesie persolvet; unde idem subcustos tres cereos faciet ante sepulcrum sepedicti venerabilis antecessoris nostri, in ipsius anniversario locandos. Hec igitur laude utriusque capituli a nobis et a prefato Alberto abbate caritative et rationabiliter contracta, ut rata sint apud posteros, et nulla de cetero mutacione vacillent, presenti commendavimus scripto, et tam nostro atque ipsius sigillo quam testium subnotatione communientes, nostra statuimus auctoritate, quod quisquis huic nostre confirmationi de cetero obviare, et donationibus seu pactionibus prefinitis contraire presumpserit, donec condigne resipuerit, anathematis vinculo permaneat innodatus.

Testes : Hugo, primicerius; Philippus, decanus; Fridericus, archidiaconus; Anselmus de Sampinie; Ulricus de Munçuns; magister Jeronimus; Rainaldus, comes Barensis; Matheus de Jussei; Sigifridus et Jeremias de Novo

castro; Richaldus de Castel; Stephanus, frater ejus; Ugo, scabinio; Garsirius, filius ejus.

210.

Entre les années 1168 et 1171.

Richard, élu de Verdun, approuve la cession faite à l'abbaye de Gorze par Gobert d'Apremont du droit de nommer le pasteur de la chapelle d'Apremont.

Cartulaire, p. 266 et 267.

De Aspero monte.

[I]n nomine sancte et individue Trinitatis. Richardus, Dei gratia, Virdunensis electus, Petro, venerabili abbati, et Gorziensi ecclesie in perpetuum.

Ad tollendam ambiguitatem in posterum, scripti hujus attestatione dignum duximus tam futurorum quam presentium tradere cognitioni, quod Gobertus de Aspero monte fundum et electionem pastoris in capella de Aspero monte, que in diocesi nostra sita est, quam de domino Mettense episcopo jure feodi tenebat, in manu domini Teoderici, venerabilis electi Mettensis, tali condicione resignavit, ut ipse electus hec eadem abbati et ecclesie Gorziensi jure perpetuo possidenda donaret. Quod cum factum confirmatumque fuisset, veniens ad nos venerabilis abbas Gorziensis Petrus petiit ut hanc donationem domini Mettensis electi ad eos factam cognosceremus, et pastoralem electionem in memorata capella, quam Gobertus seu predecessor ejus nobis exhibere solebat, eos habere concedamus. Nos itaque multo melius judicantes hanc sollicitudinem religiosos gerere, quam per aliquam secularem administrari personam, multorum sapientum atque religiosorum freti consilio, presente atque consentiente dilecto filio nostro

Richardo, archidiacono, in cujus archidiaconatu capella sita est, coram Virdunensi ecclesia concessimus atque donavimus domno Petro, venerabili abbati, et ecclesie Gorziensi, personam que in capella de Aspero monte deserviat eligere, eo more seu jure quo Gobertus seu predecessor ejus ante solebat. Veruntamen electa persona nobis et archidiacono ab ecclesia Gorziensi presentabitur, ut curam animarum a nobis suscipiat, obedientiamque promittat se nostris synodalibus et ecclesiasticis fideliter parere mandatis. Ut igitur hec nostra concessio bono favore domno Petro abbati et ecclesie Gorziensi facta in perpetuum valeat, nec de cetero aliquis eam permutare presumat, tam nostri impressione sygilli quam testium subscriptione eam confirmare curavimus.

Testes : Cono, abbas Sancti Vitoni; Heinricus, abbas Sancti Agerici; Wilhelmus, decanus; Arnulfus, tesaurarius; magister Archadus; Robertus, cantor; Remigius, cellerarius; Hugo, cancellarius; Waltherus Albus.

211.

Vers 1160.

